Musäus.


Locus Pauli Rom. V. 12. explicat.

Kilon. 1674

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

1,-274

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°

1 1 01 0 4 01444 8

+REX

BIBLIOTHECA REGIA · HAFNIENSIS ·

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

PETRI MUSÆI,
S. Theol. D. & Profeſſ. primarii
ac p. t. Acad. ProCancellarii
Diſſertatio,
quâ
Locus Pauli Rom. V, 12.

IN QUO OMNES PECCARUNT,

Κατ' ἄνθρωπον conſideratur, explicatur
& quòd peccatum originis ſit formaliter peccatum, in argumentum aſſumitur:
Cujus theſes & Corollaria ad duos dies reſpondendo defendit
HEINRICUS FRIESIUS
Salavienſis Boruſſus.
d. XXVII. Junij, & d. I. Julij.
In Auditorio majori.

KILONI,
LITERIS JOACH. REUMANNI. ACAD. TYPOGR.
M DC LXXIV.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

SUMME REVERENDO, PERILLUSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO DOMINO,

DN. JOHANNI ADOLPHO KIELMANNO A KIELMANSECK.

DYNASTÆ HÆREDITARIO IN SATRUPHOLM, CRONSHAGEN ET OBDORF,
COLLEGII CANONICORUM, QVOD HAMBURGI EST, PRÆPOSITO,
REVERENDISSIMI AC SERENISSIMI DUCIS REGENTIS SCLESVICI ET HOLSATIÆ CONSILIARIO INTIMÆ ADMISSIONIS PRIMARIO ATQVE OPTIME MERITO,
CAMERÆ AC REGIMINIS PRÆSIDI, UT ET CANCELLARIO AULICO,
PRÆFECTO IN REINBECK, TRITTAU ET MORKIRCHEN.

DOMINO AC PATRONO SUO GRATIOSO AC SUBMISSE VENERANDO.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

AUguſtus Imperator à cive quodam Romano ad convivium vocatus, etſi pro *Majeſtate ſuâ Imperatoriâ*, ut par fuit, in illô exceptus non eſſet, tamen non iraſcebatur propterea *audaculo*, ſed peractâ cœnâ valeq; dato, hoc ſolùm regesſit, *neſciebam me tibi tàm eſſe familiarem*. Quid mihi, Perilluſtris Domine, muneris loco, hanc Diſſertationem Theologicam offerenti, nec Magnitudinem Tuam honorificè ſatis eô ipſo habenti, metuendum foret aliud, niſi quod â Magno Imperatore audivit civis Romanus. Cum enim Tuam, Domine Perilluſtris, ſublimitatem, meã verò contrà expendo tenuitatem, meritò alicujus audaciæ notam me incurſurum arbitror. Sed erigit titubantem, animumque addit formidanti, Tua, Excellentiſsime Domine, tam condîta gravitate humanitas, quàm inſignis erga Muſarum alumnos Clementia. Longè enim alius tibi, Domine Perilluſtris, in literarum amantes animus exiſtit, quàm Imperatori huic quondam in civem rudem ac procacem fuit. Claret quippe iis virtutibus fama Tua, quæ non ſolum hujus regionis ora pervagatur, ſed & alio ſub ſole jacentes terras inviſit; ut optimè illud Salomonis de Tuo Perilluſtri nomine dici queat: Nomen bonum eſt inſtar unguenti fragrantis & pretioſi. Hinc tot præclara ingenii monumenta, Diſputationes, Panegyres, Carmina, Perilluſtri Tuo inſcribuntur Nomini, quæ omnia palam teſtantur, Te favere iis, qui favent eruditioni & virtuti. Hæc &

plura

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

plura alia propter balbutientis linguæ meæ infantiam jam prætereunda, me quoque extra paterni agelli ambitum, vi quaſi tacitâ huc pertraxerunt, Tuoq; perilluſtri nomini omnem dedicare operam juſſerunt. Benignè ergo interpretare, Perilluſtris Domine, non tam animi mei audaciam, quàm ſubmiſſam ac promptam Nominis Tui Perilluſtris venerationem, quam licet non eô, quô par eſt, modò exhibere poſſim, pro ingenii tamen mei viribus per totum vitæ curriculum eò anniti allaborabo. Honeſtum quippe interdum eſt & ſalſâ litare mola, imprimis cum thura deficiunt, quàm ſuo prorſus deeſſe officio. DEUS interea, Te Domine, totamque Generoſam familiam, quàm diutiſsimè ſoſpitet, omni felicitate beet, totique huic regioni firmiſſimum fulcrum, & mihi fortunæ meæ fabrum, clementiſsimè ſervet! Dab. Kilonî d. Junij Ao. clↄ lↄc LXXIV.

Tuæ Perilluſtris Excellentiæ

Humillimus Cultor

Heinricus Frieſius,
Salavienſis Boruſſus.

QVi elevatâ revelationum Divinarum auctoritate, naturalem religionem laudant, & omnibus modis extollunt, hi inter alia manibus pedibusq; pugnant, enixèque contendunt, ut peccatum originis convulſum & eliſum ire, cum non poſsint, poſſe videantur. Nec abs re quidem: Nam ſi datur peccatum originis: Si, inquam, omnes homines in peccatis concepti & nati ſunt; eſſe debet aliqua, quæ id revelet ſcriptura, cùm ex lumine naturæ res cognoſci nequeat. At Naturaliſtæ (liceat ſic appellare) omnem revelationem præfractè rejiciunt, ac labefactant, jocumq; ac ludum faciunt. Et ſanè ut hodiè tantæ impietatis internecinum cacoëthes plures faſcinavit, qui nihil minùs quàm Chriſtiani ſunt: ſic plures peccatum originis negant & impugnant; non Pelagiani modò, ſi qui merè tales ſunt; ſed & Sociniani, ſed & Anabaptiſtæ, ſed & quidam Arminiani, ut Epiſcopius, Curcellæus, & alii. Quamobrem accuſanda eſt præpoſtera noſtra induſtria, quâ diſputamus contra hæreticos & alios adverſarios, aliis de articulis; cùm interim locum de peccato originis aut negligere aut minùs ſollicitè explicare aut cunctanter ſtabilire videamur. In quo quantum momenti ſit poſitum, vel inde perſpicere eſt, quòd illius inficiatione enervatur meritum CHRISTI, & quicquid Chriſtiani nominis eſt, uno quaſi ſpiritu diſſipatur ac tollitur. Quâ enim fronte CHRISTUM omnium redemptorem colimus; niſi infantes pariter atque adultos à peccato liberavit? Itaque putavimus nos operæ pretium eſſe facturos, ſi cumprimis in illuſtrandâ aſſerendâque iſthac doctrinâ paulò curatiùs verſaremur. Non directè, & ex noſtrâ ſententiâ, veritatem exponimus, ſed καὶ' ἄνθρωπον contra adverſa-

verſarios diſputamus; ut illi ex propriis hypotheſibus refellantur: quod demonſtrandi genus aliquando quovis alio penetrantius atque efficacius eſt. Omne peccatum ajunt eſſe voluntarium voluntate propriâ. At peccatum originis non eſſe voluntarium voluntate propriâ: ideò non eſſe propriè & formaliter dictum peccatum. Huic ut occurreremus objectioni, oſtendimus ex Paulo Rom. V, 12. quomodo *in Adamo omnes poſteri propriâ voluntate peccaverint*, & propterea careant juſtitiâ originali, ſintque naturâ filii iræ, & rei æternæ damnationis. Neque ita probatâ illâ hypotheſi, habent adverſarii, quod ampliùs excipiant, ſed neceſſum eſt veritati victas manus dedant. Neque nobis quidquam tam curæ eſt, quàm ut neceſſarius ille articulus à corruptelis atque erroribus hæreticorum vindicetur. Si quà ſatisfecimus exſpectationi Tuæ, Amice Lector, eſt de quo nobis gratulamur. Sin minùs; noſtram aſſerendæ veritatis ſinceram ac candidam voluntatem æqui boniqúe conſule. Vale. Dab. Kiloni d. 11. Junii Anno, cIↄ Iↄc LXXIV.

Petrus Muſæus D.

Quò

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

QUò magis humanì generis miſeranda pateſcit
Conditio, ex primo quæ fuit orta patre:
Hoc minùs eſt clarum, quidſit, ſi notio danda:
Paſsibus ambiguis peſsima Secta ruit.
Ordine TUTE facis, FRIESI, quòd pulpita ſcandis,
Ut de peccato dogmata falſa neges.
Scilicet ingenium, probitas, doctrina, fidesq́,
Ad munus doctâ TE ſatis arte parant:
Fontibus ex ſacris poſtquam veriſsima ſcita
Hauſiſti, quibus eſt noſtra fovenda ſalus.
Gratulor incœptum: ſi pergas, eſſe futurùm
Auguror, ut ſubitò TE novus ornet honor.

Honoris & amoris ergò Eximio atq;
Eruditisſimo Dn. Reſpondenti,
tumultuariâ venâ f.

Præſes.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

THESIS I.

I*N Adamo omnes homines peccaſſe*, totidem verbis in ſcriptura nuſquam legere eſt. Senſus autem ferè verbis æquipollentibus exprimitur Rom. V, 12. ubi ait Apoſtolus: *Per unum hominem peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo OMNES PECCAVERUNT.* En! ſub finem verborum legitur propoſitio: *omnes peccaverunt*: ſed additum illud, *in Adamo*, non legitur. Addita interim eſt particula, ἐφ' ᾧ, *in quo*, præpoſitio ſcilicet cum pronomine relativo; de quo addito quæritur, idémne ſit cum altero, an minus. Significatione idem non eſſe, res ipſa loquitur. Cum autem pronomen ᾧ vi ſignificationis ſuæ ſit relativum, id ſaltem quæritur, relationem ad Adamum, an ad aliud quid ſignificet.

§. 2. Conſtructione grammaticâ relatio erat concipienda ad proximè præcedens, quod eſt θάνατος, ſive *mors*: ſiquidem illa propoſitio præcedit: καὶ οὕτως εἰς πάντας ἀνθρώπους ὁ θάνατος διῆλθεν, *& ita in omnes homines mors pertranſiit*: Verùm in morte omnes homines peccaſſe, inepta & abſurda eſt terminorum connexio: tantùm abeſt, ut ſententia ſit Apoſtoli.

§. 3. Non autem eſt inuſitatum in Scriptura Sacra, pronomen etiam ad unum quid ex remotioribus ſe referre.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

re. Cum itaque præcedat etiam, ſed longiùs abſit illa propoſitio: *per unum hominem peccatum in mundum intravit;* ad unum trium ſubſtantivorum, quorum hîc fit mentio, relativum ſit neceſſum eſt. Non autem refert ſe ad *mundum*, ut contextus docet, quanquam verum eſt, omnes homines in mundo peccâſſe. Auguſtinus initiò ad *peccatum* accommodavit: verùm præterquàm quòd minùs commodè dicitur, *in peccato omnes homines peccâſſe*, inſuper in Græco textu eſt fœmininum ἁμαρτία, cum pronomen ᾧ ſit maſculinum. Propterea mutato poſteà animo & calamo, ad *unum illum hominem*, per quem peccatum in mundum veniſſe memoratur, relationem ac reſpectum notari cenſuit: quam interpretationem omnes noſtri Theologi amplectuntur. Per unum verò hominem intelligi *Adamum*, tum ex ſequentibus patet, ubi Adamum Chriſto opponit Apoſtolus; tùm ex eo, quòd Adam generationis, & ſic propagati peccati princeps fuit cauſſa.

§. 4. Verùm hanc expoſitionem rejiciunt Pelagiani, & alii, qui hodiè ipſorum veſtigia legunt. Rejiciunt autem, ne concedere cogantur peccatum originis, quod ex illa ſequitur. Duo potiſſimùm objiciunt: alterum eſt, quòd inter unum hominem, per quem peccatum in mundum veniſſe dicitur, & inter particulam ἐφ ᾧ nimis multa intercedant: alterum quòd τὸ ἐφ' ᾧ ordinariè æquipolleat conjunctioni cauſſali, & idem ſit, quod *quia, quatetenus, in quantum, eò quod.*

§. 5. Ad utrumque facilis eſt reſponſio. Ad prius: inter mentionem *unius hominis* ſcilicet Adami, & intèr ἐφ' ᾧ tres quidem propoſitiones intercedunt, ſed ſicut in primâ propoſitione mentio unius hominis exprimitur,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

ita in reliquis duabus ſubintelligitur. Senſus enim earum huc redit: 1. *Per unum hominem peccatum in mundum intravit.* 2. *Per unum hominem in mundum etiam intravit mors, prout eſt pœna peccati.* 3. *Per unum hominem mors in omnes homines tranſiit.* Jam ſi reſpicias ad expreſſam *unius hominis* notionem, longè ſatis abeſt à particulâ ἐφ' ᾧ. Sin verò ad ſubintellectam; proximè præcedit. Non autem requiritur ad grammaticam conſtructionem, ut proximè expreſſum ſit id, ad quod pronomen relativum ſe refert, ſed ſufficit, ex remotiori pronunciato id facilè repeti & ſubintelligi poſſe. Ad poſterius: falſum eſt, τὸ ἐφ' ᾧ ordinariè, pro conjunctione cauſſali accipi. Certè cum Marcus ait cap. II, 4. χαλῶσι τὸν κράββατον, ἐφ' ᾧ ὁ παραλυτικὸς κατέκειτο; particula ἐφ' ᾧ relativa eſt ad nomen κράββατον, & idem eſt, quod *in quo*, ut ſenſus ſit: *Demiſerunt grabbatum, in quo paralyticus jacebat.* Confer ἐφ' ᾧ Phil. IV, 10. Tum etiam conſtat, ἐπὶ cum dativo idem eſſe, quòd ἐν, *in*, uti patet ex locis Hebr. IX, 17, 26. I. Theſſal. III, 7. Joh. IV, 27. Quo igitur ſenſu dicitur I. Cor. XV, 22. ἐν τῷ Ἀδὰμ πάντες ἀποθνήσκουσι, *in Adam omnes moriuntur*: eodem etiam intelligendum eſt l. c. ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον, *in quo omnes peccarunt.* Ex abundanti addo: ſi vel maximè particula ἐφ' ᾧ pro conjunctione cauſſali accipiatur, non tamen deponit ſignificationem relativam, quam vi pronominis habet, ſed refert ſe minimùm ad generale quid ſubintellectum, veluti quod dicitur Joh. V, 7. ἐν ᾧ, *Interim dum*, refert ſe ad ſubintellectum ſubſtantivum χρόνῳ. Eadem aliarum hujusmodi particularum eſt ratio. Non autem opus eſt ſubintelligi generale quoddam nomen, cum ſpeciale eſt expreſſum, ſicut in citato loco res habet.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

§. 6. Demus autem adverſariis, non τὸ ἐφ' ᾧ relativam ad *primum hominem*, ſed cauſſalem particulam eſſe: nihil aliud obtinent, quàm propoſitionem illam noſtram, quâ *omnes in Adamo peccaſſe* dicimus, non ἔγγραφον eſſe, h. e. neque iisdem neque æquivalentibus verbis in ſcriptura legi. Nihilominus eam per conſequentiam ex contextu Paulino elici & concludi, tàm certum nobis, quàm quod maximè eſt. Argumentum enim ex eo fit tale: *Per quem mors in omnes homines tranſiit, in eo etiam omnes peccarunt: atqui per unum hominem, ſcilicet per Adamum, mors in omnes homines tranſiit: Ergo in uno homine, ſcilicet in Adamo, omnes peccarunt.* Major propoſitio ex eo eſt manifeſta, quòd cùm mors ſit ſtipendium peccati, unam utriusque cauſſam eſſe neceſſum eſt. Repugnat igitur, non in eodem omnes peccaſſe, per quem mors in omnes pertranſiit. Minor ſic probatur: I. Dixerat Paulus, *per unum hominem peccatum in mundum intraſſe.* Sed additum illud, *per unum hominem*, in ſequentibus duabus propoſitionibus, jure neceſſariæ repetitionis, ſubintelligitur, ut ſenſus ſit, *per unum hominem etiam mortem in mundum introiviſſe, & ita per unum ac eundem hominem mortem in omnes tranſiiſſe.* II. Expreſsè dicitur I. Cor. XV, 22. *In Adamo omnes moriuntur*, quæ ipſa eſt noſtra minor propoſitio.

§. 7. Si itaque obſtinatisſimè contendant Adverſarii, illam propoſitionem, quâ *omnes homines in Adamo peccaſſe*, credimus ac profitemur, neutro modo, neque totidem, neque æquivalentibus verbis in Sacra Scripturâ contineri: Sufficit nobis ad fidem, quòd per conſequentiam certam ac ſolidam ex ea deducatur. Senſus enim, vi conſequentiæ, huc tandem redit: *& ita* (ſcilicet *per u-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

num hominem, jure neceſſariæ repetitionis) *mors in omnes homines tranſiit*, quatenus in uno illo homine *omnes peccaverunt*. Nolint ergo velint adverſarii; additum illud, *in uno homine, ſcilicet in Adamo*, tolerare debent.

§. 8. Univerſalis eſt propoſitio, ſed quousque; ex prædicato judicandum eſt. Prædicatum eſt verbum præteriti temporis *peccaverunt*, cum addito, *in Adamo*. Noſtri Theologi id accipiunt de peccato originis, neque tam de inhærentia actuali peccati originis, quam de neceſſitate carendi juſtitia originali, & naſcendi cum peccato, ita ut ſenſus ſit: *In Adamo omnes poſteri neceſſitatem carendi juſtitiâ originali & naſcendi cum peccato incurrerunt*; ita puta, ut quando alter poſt alterum naſcituri ſunt, non niſi ſine juſtitia originali, & ob id cum peccato naſci poſſint. Quo fit, ut etiam ſubjectum ad omnes omnino homines amplietur, *qui ſunt, fuerunt & futuri ſunt*, cujuscunq; ſive ætatis ſint ſive ordinis, ita ut etiam infantes non excludantur. Senſus proinde propoſitionis huc redit: *Omnes homines, qui poſt Adamum ſunt vel fuerunt, antequam exiſterent, ut & quotquot adhuc futuri ſunt, in Adamo neceſſitatem carendi juſtitiâ originali, & naſcendi cum peccato incurrerunt*. Ex quo etiam ſequitur, quòd poſtquam ſunt nati, careant omnes juſtitia originali, & peccato obnoxii vivant.

§. 9. Conſtat huic interpretationi non una ratio. Primùm verbum *peccarunt* videtur ducere denominationem ab illo peccato, cujus facta eſt mentio, cùm per unum hominem in mundum intraſſe diceretur: ſed hoc eſt peccatum originis, contrà quàm ſentiunt adverſarii: permanentis enim peccati eſt, *intrâſſe in mundum*; non actualis, quod evaneſcit. Deinde non apparet, quomodo poſteri in

Adamo actualiter peccârint, cum peccante Adamo, illi nondum extiterint. Præterea ſi verbum *peccârunt* de peccato actuali acciperetur, non extendi poſſet ad infantes, qui peccatis actualibus ſe nondum obſtrinxerunt, adeóq; particularis efficeretur propoſitio, quæ tamen vi vocum univerſalis eſt: *omnes enim peccâſſe* expreſsè dicuntur. Denique ſi infantes non eorum appellatione comprehenduntur, qui hîc *peccâſſe* dicuntur, etiam mors in ipſos non tranſiit: ſed conſequens eſt falſum, teſte experientiâ: omnes enim etiam infantes moriuntur. Neque ſtrictiùs vult ac debet intelligi Paulus Apoſtolus, cum mortem in omnes homines tranſiiſſe dicit. Quin & ipſe tàm latè ſe explicat, cum ſubjicit, *mortem etiam in eos regnâſſe, qui ad ſimilitudinem Adæ non peccaverint.* Noſtri de iis verba accipiunt, qui actualibus ſe peccatis nondum obſtrinxerunt, quales infantes eſſe, res ipſa docet.

§. 10. Adverſarii autem his quantumvis validis rationibus non acquieſcunt, ſed verbum *peccârunt*, denominativum à peccato actuali eſſe contendunt, & id ad adultos reſtringunt, tanquam qui ſoli peccati actualis ſint capaces. Sic ergo ex propoſitione univerſali particularem efficiunt, & infantes ab omni peccato liberant. Vix autem habent, quod contra antè explicatam ſententiam objiciant, niſi quòd acriter pugnant, verbum *peccârunt*, vi nativæ ſuæ ſignificationis, à peccato actuali denominationem ſortiri. Quæ quidem non improbabilis eſt objectio. Etſi enim *peccator* quis tùm ab originali, tum ab actuali, tum etiam ab habituali peccato denominatur; verbum tamen *peccare* ferè idem eſt, quod actu contra legem agere. Rectè interim reſpondet B. Chemnitius Loc. VII. de pec-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

peccato originis cap. III. n. 2. *Apud Hebræos verba ſæpe ſignificant, non tam actionem quàm habitum, ſicut à Grammaticis regula illa exemplis confirmatur. Quod ſi quæritur: An in illo loco Pauli, verbum PECCARE ſignificet actionem vel habitum? certisſima ratio eſt, ſumere interpretationem ex ipſo contextu. Paulus enim poſteà verbum PECCAVERUNT exponit, peccatores conſtituti ſunt, & dicit peccaſſe non in ſimilitudine Adæ. Atqui Adam actualiter peccavit. Ergo peccare in illo loco Pauli, non ſimpliciter ſignificat actionem. Hæc ſunt vera & ſolida.*

§. 11. Cæterùm demus etiam hoc adverſariis, per verbum *peccarunt* intelligi peccatum actuale, adeoque dici omnes in Adamo actualiter peccaſſe, quomodo etiam Cornelius à Lapide exponit. *Aliud eſt*, inquit, *in Adamo peccare; aliud eſt, peccatum Adami in omnes pertranſire, ſive omnes ex Adamo peccatum contrahere: illud enim actuale fuit, hoc verò habituale eſt, & cuiq; proprium ac inhærens peccatum originale, ut dixi.* Demus ergò, inquam, hoc adverſariis, verbum *peccarunt* ab actuali peccato denominationem ducere: non tamen proptereà excluduntur infantes, quòd peccati actualis per ætatem non ſint capaces, ſed quo ſenſu in Adamo adulti, eodem & infantes in ipſo actualiter peccâſſe intelliguntur.

§. 12. Quod quo pateat clarius, tum pro quibus ſupponatur ſubjectum, videndum eſt, tum quid per prædicatum intelligatur. Subjectum dixi ampliari ad omnes homines, qui fuerunt, ſunt & futuri ſunt: non autem ſumuntur illi, quatenus exiſtentiam ſub certa temporis differentia includunt, ſed reſtringuntur ad tempus lapſus Adami, quo nondum extiterunt, & ſic intelliguntur omnes

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

mnes peccaſſe in Adamo, antequam exiſterent, & cum adhuc in lumbis Adami erant. Etſi itaque infantes jam nati non actualiter peccant: hoc tamen non obſtat, quò minùs & ipſi & omnes poſteri, antequam exiſterent, in Adamo peccaverint.

§. 13. *Non entis*, inquies, *nulla ſunt prædicata*: Ergo etiam quando non extiterunt poſteri Adami, non peccaverunt. Ita eſt; eo modo quo Adam peccavit, illi non peccarunt: ſic enim ut peccet quis, requiritur ejus exiſtentia. At non entis aliqua ſunt prædicata extrinſeca, qualia ſunt v. g. quæ ab intellectu vel voluntate ducuntur, & alicui, antequàm exiſtat, tribuuntur. Et ita etiam poſteri Adami, antequam exiſterent, peccârunt, denominatione ſcilicet extrinſecâ, quæ poſteà explicabitur.

§. 14. Quantum ad prædicatum attinet, differunt multum, *peccare abſolutè*, & *peccare in Adamo*. Illud de infantibus, quamdiu & quatenus ſunt infantes, dici nequit: hoc autem benè de illis dicitur, vi additi, *in Adamo*, quo ſignificatio verbi peccandi corrigitur. Si quis autem alterum ex altero colligere vel redarguere voluerit, viderit is, ne fallaciam à dicto ſecundum quid ad dictuum ſimpliciter, aut contrariam ἀσυλλογισίαν incurrat. Quando enim infantes jam natos non peccare actualiter certum eſt, neutiquam ex hoc ſequitur, eos nec in Adamo, antequam naſcerentur, peccâſſe. Neque ex oppoſito, quo infantes in Adamo, antequam naſcerentur, peccaſſe tuemur, eos etiam jam natos actualiter peccare rectè colligitur. Hinc Gabriel Vazquez in primam ſecundæ diſp. CXXXII. Cap. X. *Licet parvuli dicuntur abſolutè peccatores, non dicuntur abſolutè peccare, ſed cum additamento*, *IN ADAMO*,

MO, quia PECCARE denotat peccatum actuale vel commiſſionis vel omiſſionis.

§. 15. Huic doctrinæ ut lucem fœneremur, notandum eſt, eorum quæ *cum addito* prædicantur, quantum ad *additi* ſignificationem attinet, non eandem eſſe rationem. Aliquando nomini vel verbo, quod prædicatur, additur id, quod ipſius ſignificationi non detrahit, licet fortè eam contrahat & reſtringat: ut cum *aliquem eſſe hominem album* dicimus, vox *albus* reſtringit quidem prædicatum ad homines albos, ſed abſque imminutâ ſignificatione vocis *homo*. In his à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter valet conſequentia. Sequitur, inquam: *Socrates eſt homo albus: Ergo eſt homo.* Aliquando verò additum nominis vel verbi ſignificationem alienat vel diminuit, unde & terminus alienans ac diminuens dicitur. Fit autem iſthæc alienatio ſive diminutio pluribus modis: primùm cum nomini vel verbo additur id, quod rei per ipſum ſignificatæ privatio eſt: quo in caſu additum adeò prorſus ſignificationem ſocii nominis vel verbi tollit, ut neq; impropriam neque aliam quocunque modo ſimilem ſubſtituat: ſicut cum *aliquem eſſe hominem mortuum* dicimus, vox *mortuus* notat prædicari hominem, non qui eſt, ſed qui fuit & eſſe deſiit, ſine ſubſtitutâ aliâ ſignificatione. Hanc Logici Summuliſtæ *diſtractionem* appellant. Deinde cum nomen vel verbum à propria ſignificatione ad alienam flectitur, ſicut cum Chriſtum eſſe *lucem ſpiritualem* dicimus, vox *ſpiritualis* ſignificat, non prædicari lucem propriè, ſed impropriè dictam, quandoquidem lux propriè dicta radios ſpargit, ſicut lux ſolis. Denique cum alio quocunque modo nomen vel verbum ab ea ſignifica-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

cation, quam, abſolutè uſurpatum, habet, ad aliam traducitur, ſive ob ſimilitudinem, ſive ob aliam quamcunque cauſam, quæ indefinita eſt ac varia: ſicut cum aliquid *eſſe hominem pictum*; aliquam *eſſe cauſſam per accidens* dicimus; illic vox *pictus* notat, prædicatum non eſſe hominem propriè dictum, ſed picturam, & dici hominem, ob picturæ cum homine ſimilitudinem; hic *τὸ per accidens* ſimiliter ſignificat, id quod prædicatur non eſſe cauſſam veram, ſed ob conjunctionem cum cauſſâ verâ, vel ob aliam rationem ita nuncupari.

§. 16. Ariſtoteles ea, quæ *cum addito* primi generis vel modi prædicantur, ſub æquivocis comprehendit, ſiquidem iis, quorum unum abſolutè, alterum cum addito privativo ita dicitur, nihil præter nomen vel verbum eſt commune. *Perindè ergò*, ait, *emortui hominis manus æquivocè manus dicitur, atq; ſi lapideæ tibiæ dicantur.* Libr. IV. Meteor. cap. ult. Idem ibidem, & alibi pronunciat, cum *oculum lapideum, vel mortuum*; *ſerram ligneam*; *manum ligneam, æneam, pictam*; vel denique *Medicum pictum* dicimus. Confer l. I. de part. anim. Cap. I. libr. II. de animat. 8. Libr. VII. Met. t. 35. & libr. I. Polit. c. 2. Verùm alia addita, ea minimùm, quæ tertii generis ac modi ſunt, ſæpe etiam analogiam ſignificant, ſicut cum Ariſtoteles Subſtantiam *ens abſolutè*, & accidens cum addito *entis ens* appellat; aut cum Metaphyſicam *Philoſophiam* abſolutè, Phyſicam verò cum addito *Philoſophiam ſecundam* vocat; neque ibi, neque hic æquivocatio, ſed analogia quædam utrobique intercedit.

§. 17. Jam quando *omnes in Adamo peccâſſe* dicuntur: quæritur, quale additum ſit *τὸ in Adamo*, & quid ſignifi-

ſignificet. In genere & univerſè *τὸ in aliquo* non eſt terminus diminuens & alienans, ſive verbo activo ſive paſſivo addatur, ſed ſæpè tantum reſtringendi vim habet, ſicut cum Paulus ait Eph. 1, 8. *Nos in Chriſto electos eſſe, ante jacta mundi fundamenta*; *τὸ in Chriſto* verbo eligendi paſſivè uſurpato nihil derogat, ſed tantùm ad certam cauſſam contrahit & reſtringit. At quando *omnes in Adamo peccâſſe* dicuntur; *τὸ in Adamo* tùm reſtringendi, tùm diminuendi vim habet. Reſtringit verbum peccandi tùm ad certum peccati principium, quod eſt Adamus, tùm ad tempus lapſûs Adami, adeoque ſignificat, poſteros peccaviſſe, antequam erant, & cum adhuc in lumbis Adami continerentur, & primum peccati principium Adamum eſſe. Sed & ſimul ſignificationem verbi diminuit. Certè enim propriâ & ordinariâ ſignificatione, quam verbum illud abſolutè uſurpatum habet, poſteri non poſſunt dici peccaſſe, antequam erant, & cum adhuc in lumbis Adami continebantur, quoniam ad ſic peccandum peccantium requiritur exiſtentia. Intelliguntur ergò alia quacunque ſignificatione peccâſſe, quam verbum illud pro eo ſtatu, in quo poſteri tempore lapſûs Adami erant, habere potuit. Ea verò quænam ſit, non prius ſatis commodè exponi & capi poteſt, quàm quænam ſit propria & ordinaria atque abſoluta verbi ſignificatio, explicatum fuerit, ſiquidem analogia aliqua inter duas illas verbi notiones intercedat neceſſum eſt.

§. 18. Per verbum *peccârunt* intelligi peccatum actuale, ſicut datum eſt adverſariis ſuprà, ut *κατ' ἄνθρωπον* contra illos peccatum originis aſſeratur; ita inter nos & illos hoc quoque confeſſum eſt, de eſſentiâ pecca-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

ti actualis eſſe, ut ſit voluntarium. Formalis quidem ratio peccati eſt ἀνομία, & ea adæquata, quatenus ab objecto ducitur. Neque enim ex parte objecti quicquam aliud ad peccatum requiritur, quàm ut ſit ἀνομία. Verùm ex parte ſubjecti, ſcilicet *peccantis*, requiritur etiam aliqua ratio, ipſi ut objecti ἀνομία ad culpam imputetur, quæ in peccandi voluntate ac propoſito conſiſtit. Sint enim duo, qui contra eandem legem agant; alter ſciens & volens; alter per ignorantiam: illi imputatur ἀνομία ad culpam, quia voluntaria eſt; huic non imputatur, quoniam ignorantia eam involuntariam eſſe arguit. Itaque peccatum actuale eſt ἀνομία quidem; non autem qualislibet, ſed voluntaria ἀνομία; ſive ut clariùs dicam, eſt ἀνομία in voluntario actu, aut in voluntariâ actus omiſſione. Hinc ait Auguſtinus libr. de vera relig. cap. XIV. *Atq; adeò peccatum voluntarium eſt, ut nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium.*

§. 19. Jam cùm *peccare* à *peccato*, verbum à nomine Logicè denominationem ducat, una utriusque principalis ſignificatio ſit oportet. Si ergo peccatum actuale eſt *voluntaria* ἀνομία, verbum *peccare* abſolutè uſurpatum idem eſt, quod *voluntariè contra legem agere, ſive omittendo, quod lex jubet, ſive faciendo, quod vetat.* Hanc ſignificationem verbum illud non habet, cùm omnes poſteri *in Adamo peccâſſe* dicuntur, ob rationem ſuprà adductam, quòd ſcilicet ad ſic peccandum requiratur peccantium exiſtentia. Alienatur ergò verbi ſignificatio, ſed quomodo? quæritur. Diſtractioni non eſt locus, quoniam illa fit per additum privativum, quale non eſt τὸ *in*

Ada-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

Adamo. Tum etiam peccatum diſtractione alienatum non ampliùs ullâ ratione, ne analogicè quidem peccatum eſt: ſicut *homo mortuus* non eſt homo, niſi æquivocè. At *cum omnes poſteri in Adamo peccaviſſe* dicuntur, non intelligitur peccatum æquivocè ita dictum, ſed quod ſaltem analogicè peccatum eſt. Ex quo etiam ſatis liquet, non alienari notionem peccati, prout ἀνομία eſt. Hæc enim adeò propria ac ſpecifica peccati ratio eſt, ut non niſi per *additum privativum*, & ſic per diſtractionem planè tollatur; cui hîc non eſſe locum, jam dixi. Alienatur ergò ac diminuitur aliâ, & eâ ratione, quâ licet alienatum ac diminutum, adhuc ſaltem analogicè peccatum eſt. Nihil autem præter ἀνομίαν eſſe in peccato, niſi quòd etiam ſit voluntarium, confeſſum eſt. Hac igitur ratione alienari ac diminui neceſſum eſt. Neque ſine cauſſâ. Plures enim ſunt modi voluntatis ac voluntarii, quorum alii magis, alii minùs proprii ſunt. Alienatur ergò verbum *peccandi*, vi additi *in Adamo*, ad modum voluntarii minùs proprium, ut ſenſus ſit: *in Adamo omnes poſteri, antequam exiſterent, aliquo modo voluntariè peccarunt.*

§. 20. *Non entis nulla ſunt prædicata*, denuò objicies: Ergo nec poſterorum Adami, antequam exiſterent, ulla fuit voluntas, adeoque nec ullum peccatum actuale, ne quidem analogicè ita dictum. Ego verò non dico, poſterorum Adami, antequam exiſterent, ullam fuiſſe voluntatem propriè ita dictam: hoc enim contradictionem implicat. Sed negari tamen non poteſt, in minùs propriis voluntarii modis eſſe aliquem, qui poſteris ante ipſorum exiſtentiam rectè, & citra repugnantiam tribua-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

tur. Quod quò fiat evidentius; omnes voluntarii modi perluſtrandi ſunt.

§. 21. *Spontaneum eſt, cujus principium eſt in agente, cognoſcente ſingula, in quibus actio verſatur*, definiente ſic Ariſtotele lib. III. Nicom. Cap. III. Idem autem eſt *voluntarium*, niſi quòd ſub hac ſpecialiori appellatione principium ipſius ad voluntatem, & cognitio agentis ad cognitionem & ſcientiam rationis reſtringitur. Quomodo *voluntarium* id efficitur, *cujus principium eſt in agente voluntas, quatenus advertente ratione cognoſcit ſingula, in quibus actio verſatur.*

§. 22. Voluntarium autem hoc modo definitum dicitur dupliciter, *directè* & *indirectè*, notante Thomâ in primâ ſecundæ qu. VI. art. III. Verba Thomæ ita habent: *Voluntarium dicitur, quod eſt à voluntate: ab aliquo autem dicitur eſſe aliquid dupliciter. Uno modo directè, quod ſcilicet procedit ab aliquo, in quantum eſt agens, ſicut calefactio à calore: Alio modò indirectè ex hoc ipſo, quòd non agit; ſicut ſubmerſio navis dicitur eſſe à gubernatore, in quantum deſiſtit à gubernando.* Placet nobis diſtinctio, ut quæ fundamentum in re habet, ſed neutrius membri definitio videtur eſſe adæquata. Certè *directè* voluntarium, etiam aliquid eſt, quod à oluntate, ut ab agente non procedit. Neque ſolum *indirectè* voluntarium eſt, quod à non agente, ſed etiam quoddam quod ab agente procedit.

§. 23. Propiùs ad rem eſſe videtur, ſi *DIRECTE VOLUNTARIUM* aliquid dicas reſpectu ejus, *qui id expreſſo voluntatis actu appetit:* ut verò ipſe, in modum cauſſæ immediatè influentis, id agat, neceſſarium non eſt: ſufficit, ſi quid ad ipſum conferat, ſine quo non fieret. Sicut qui alterum,

rum, ſive ſuaſu, ſive juſſu, ſive munere aliquo inducit ad committendum homicidium, huic directè voluntarium eſt homicidium, quia licet ſuâ manu non occidat, aliquid tamen ſciens & volens confert, absque quo ſi eſſet, cædes non fieret.

§. 24. Ex oppoſito *INDIRECTE VOLUNTARIUM eſt, quod quis expreſſo voluntatis actu non appetit, imò abhorret & averſatur; volendo tamen aliud, ad quod ipſum ſcit conſequi, etiam ipſum velle cenſetur.* Illud autem *aliud* nunc eſt actus aliquis, nunc certi actûs omiſſio. Undè indirecta voluntas duos habet modos: 1. *Cum quis vult agere & agit id, ad quod, aut ex quo ſcit alterum conſequi, aut quocunque modo conjungi.* 2. *Cum quis vult omittere, & omittit id, quo potuiſſet ac debuiſſet alterum impedire:* ſive ut ſimpliciùs dicam, *quando quis non impedit effectum, cùm poſſit & debeat.* Priori modo ægro potionem amaram ſumenti indirectè voluntaria eſt nauſea: etſi enim nauſeam abhorret & averſatur; dum tamen ſcit, eam ad uſum medicamenti conſequi, volendo & capiendo medicamentum, eam quoque velle cenſetur. Poſteriori modo nautæ ex navi exeunti indirectè voluntarium eſt naufragium, quod ipſo abſente eſt factum. Etſi enim naufragium expreſſo voluntatis actu non expetit; dum tamen ſcit, ſe abſente, poſſe oriri procelloſam tempeſtatem, & naufragium fieri, ſeque ad impediendum ſemper adeſſe & vigilare oportere; non impediendo, illud omninò velle cenſetur.

§. 25. Verùm ſi retrô ad poſteros Adami recurramus, neutrâ neq; directâ neq; indirectâ voluntate dici poſſunt *in Adamo peccâſſe.* Utraque enim voluntas requirit volentium exiſtentiam. De voluntate directâ res adeò

eſt

eſt manifeſta, ut neque probatione neque declaratione egeat. Directa quippe voluntas eſt expreſſus voluntatis actus, qui non niſi ab exiſtentibus procedit. Sed & indirecta voluntas utriusq; modi in aliquo directè voluntario actu fundatur. Si eſt prioris modi; ex voluntario quodam actu immediatè oritur: ſin poſterioris modi; proximè ex certi actus omiſſione; Sed remotè quoquo ex actu quodam directè voluntario proficiſcitur. Quamobrem nec indirecta voluntas, niſi eorum eſt, qui actu exiſtunt. Adamo directè voluntarium fuit ſuum actuale peccatum, ſcilicet *fructum vetitum comediſſe*: hujus enim fruitionem expreſſo voluntatis actu appetivit. Eidem indirectè voluntarium fuit peccatum originis, in ſe & in poſteris: quanquam enim illud expreſſo voluntatis actu neque ſibi neque poſteris appetivit; dum tamen ſcivit, certè ſcire *potuit ac debuit*, ſe peccando contra legem poſitivam, ſibi & poſteris perditurum eſſe egregia Paradiſi dona, & nominatim etiam juſtitiam originalem, in cujus carentia peccatum, quod originis appellamus, ex parte conſiſtit; indirectè id voluiſſe rectè cenſetur. Sed neutro modo poſteris Adami tum temporis voluntarium fuit aliquod peccatum; quia cum peccaret Adamus, ipſi nondum extiterunt. Non fuit ipſorum directa aliqua peccandi voluntas, ſicut Adami erat. Nihil quoq; dum non exiſterent, potuerunt velle ac facere, ad quod ſcirent peccatum ullum ſequi. Eatenus igitur ab omni tùm directè tùm indirectè voluntario peccato liberantur.

§. 26. Eſt autem alius quidam, quo aliquid voluntarium dicitur, modus: Scholaſtici voluntatem *interpre-*

tativam

tativam appellant, per extrinſecam denominationem, deſumtam ab actu intellectus, quo unius voluntatem eſſe voluntatem alterius interpretamur. Vatzquetz confundit eam cum voluntate indirecta, & diſtinguentes unam ab altera reprehendit. In prima Secundæ p. diſp. XXIV. cap. 1. *Nonnulli*, inquit, *diſtinguunt voluntarium interpretativè à voluntario indirectè, quia interpretativè ſit ſine ulla cognitione, quâ ratione dicimur interpretari mentem legislatoris in caſu, quem ipſe non prævidit, nec cogitavit: indirectè autem voluntarium ſolum dicatur, quod aliquo modo prævisum eſt.* Rectè hanc *frivolam eſſe diſtinctionem* judicat, quia fundamento caret. Quòd autem non aliter diſtingui cenſet, fallitur. Res ita liquet: Aut comparantur inter ſe *duo objecta*, reſpectu ejusdem perſonæ; aut *duæ perſonæ*, reſpectu ejusdem objecti. Priori comparatione cum unum objectorum eſt voluntarium, etiam alterum eſſe voluntarium cenſetur, quia qui unum appetit & admittit, alterum ſcit ſequi. Et hæc non eſt voluntas interpretativa, etiamſi verbum interpretandi rectè ei quoq; aptetur, ſed *indirecta*. Poſteriori comparatione cùm una perſona aliquid vult & agit, idem altera velle & agere cenſetur, ob conjunctionem vel pactum, quod intercedit. Et hæc demum eſt voluntas *interpretativa*. Breviter: *indirecta* voluntas ab uno objecto in aliud; *interpretativa* ab una perſona in aliam derivatur. Nempe directa voluntas unius objecti eſt indirecta voluntas alterius, ſub reſpectu ejusdem perſonæ volentis: & vera voluntas unius perſonæ eſt interpretativè voluntas perſonæ alterius, ſub ratione ejusdem objecti voliti. Omnino ergo *indirecta* & *interpretativa* voluntas diſtinguuntur,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

§. 27. JCtis celebratiſſima res eſt *fictio juris*, quam vocant, quâ *jus vel lex falſum pro vero aſſumit, ſvadente æquitate.* Quomodo *poſthumi pro jam natis* habentur l. de tut. §. 4. & *qui eſt in utero, perinde ac ſi in rebus humanis eſſet, cuſtoditur, ff.* de ſtatu hom. l. 7. Sub fictione iſta juris putârim & voluntatem *interpretativam* comprehendi: neque enim alia hîc intelligitur interpretatio, quam quâ lex voluntatem unius fingit eſſe voluntatem alterius, cujus tamen reverâ non eſt voluntas Diſſentiunt autem JCti in aſſignandis ſpeciebus & modis fictionis juris. Nonnulli duas tantùm in jure fictiones agnoſcunt; unam *Legis Corneliæ*, quâ qui in captivitate decedit, liber deceſſiſſe fingitur; alteram *juris poſtliminii*, quâ qui à captivitate domum revertitur, nunquam captus fuiſſe, ſed ſemper liber manſiſſe cenſetur. Sub neutra ſpecie voluntatem interpretativam comprehendi, res ipſa docet. Veruntamen latiùs fictionem juris patere, rectè alii Doctores docent. Quod non modo ex antè citato textu juris liquet, quo qui adhuc eſt in utero, eſſe in rerum natura fingitur, ſed & ex pluribus aliis. Azo ejus ſpecies ad decem prædicamenta dilatavit. Communi ſententiâ totupliciter ferè fit fictio, quot modis logicè falſum dicitur. Nempe fingit jus aliquid, vel affirmando eſſe, quod non eſt; vel negando eſſe, quod eſt; vel quod eſt in una re, vel perſonâ, vel circumſtantiâ, ad aliam transferendo. Utraque prior *ſimplex* eſt, niſi quòd altera affirmativa, altera negativa; ſed poſtrema *in comparatione* duarum rerum vel perſonarum vel circumſtantiarum, veluti loci vel temporis, verſatur. Sub hâc poſtremâ putarim voluntatem *interpretativam* comprehendi; non quidem ita, tanquam duæ res vel circumſtantiæ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

ſtantiæ hic; ſed quòd duæ perſonæ inter ſe conferantur, idq́; quod uni ineſt perſonæ, ad perſonam quoque aliam transferatur: quandoquidem quæ uni ineſt voluntas, alterius vel aliorum quoque eſſe voluntas cenſetur.

§. 28. Hæc ex duarum perſonarum comparatione orta fictio juris, Theologorum & Moraliſtarum ſtylo *imputatio* appellatur. Generali notione quælibet actio moralis, rectè dicitur imputari cuilibet, in quem vi dignitatis vel indignitatis, vi bonitatis vel malitiæ ſuæ, aliquem ſui effectum transfundit: ſive ſit actio propria, ſive aliena. Non intelligo effectum phyſicum, ſed moralem, qualis ex bona actione eſt impletio legis, bona conſcientia, laus, præmium, vel ſimile quid; ex mala actione ἀνομία, culpa, pœna. Diſcrimen nonnulli meritorum ac demeritorum nomine exprimunt. Hoc modo imputare alicui actionem idem eſt, quod ipſi adjudicare meritum vel demeritum actionis, alioſve effectus ac proprietates morales, quæ ex actione oriuntur, ſive ſit propria actio ſive aliena.

§. 29. Non interim una eſt ratio, qua alicui actio propria, & quâ aliena imputatur, neque idem imputationis fundamentum. *Propria actio* dicitur, reſpectu ejus, à quo velut à cauſa dependet. At cauſſæ ſuæ ſeipſam actio imputat, ut nec fictione juris, nec ullo externo principio ſit opus. Neque enim aliud imputationis fundamentum eſt, quàm quòd is, cui imputatur actio, actionis cauſa eſt. Ex oppoſito *actio aliena* dicitur, reſpectu perſonæ, quæ ejus non eſt cauſa. Huic autem ſeipſam non imputat, quia eatenus in ſe non habet fundamentum imputationis; ſed imputatur à lege, ſvadente æquitate; at-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

que hæc demum eſt illa imputatio, quæ ſub JCtorum fictione juris comprehenditur, & tota in externum principium reducitur. Cui placet, differentiæ causâ alteram naturalem, quòd naturâ conſtet; alteram *legitimam* imputationem dicat, quòd à lege oriatur. Definiat illam, quâ *actio propria ei imputatur*, *cujus eſt propria*; ſive qua actio ſuæ cauſæ imputatur: Hanc, *quâ actio aliena alicui, quaſi propria imputatur*: quod fit, cum is, qui non eſt cauſa actionis, perinde habetur, ac ſi cauſa ejus eſſet; intellige, quoad actionis merita vel demerita, aliasq; proprietates morales. Hic enim eſt terminus cujusq; imputationis, adeoq; & naturali & legitimæ communis, ceu ſuprà res explicata eſt.

§. 30. Etſi autem actio moralis præcipuè dicitur reſpectu *cauſæ moralis*, (moralis enim eſt, quatenus voluntaria eſt: ſed voluntaria eſt, voluntate cauſæ moralis, ſive directâ ſive indirectâ) habet tamen ſemper etiam cauſam phyſicam, per cujus influxum producitur, quæ aliquando diverſa eſt à causâ morali, aliquando illa ipſa. Quò fit, ut una eademq; actio *propria* ſit & *aliena*, prout ad diverſas cauſas refertur: Sicut quæ ab aliquo velut à causâ phyſica dependet actio, non eſt ſimpliciter ipſius propria, niſi idem ſit cauſa ejus moralis, imò citra moralem cauſandi actum, planè non eſt moralis actio. Et quæ ab aliquo, ut à causâ morali dependet, licet eo ipſo ſit moralis actio, non tamen eſt ſimpliciter ipſius propria actio, niſi idem ſit cauſa ejus phyſica. Ergo qui actionis cauſa *phyſica* & *moralis* ſimul eſt, huic ſimpliciter propria eſt actio: qui verò neutro modo ejus cauſſa eſt, huic ſimpliciter actio eſt aliena.

§. 31.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

§. 31. Cœterùm in imputandis actionibus propriis maximè etiam habetur ratio cauſſæ moralis. Nam imputantur, quatenus ſunt voluntariæ: ſed cauſſæ morali, & per hujus cauſſandi actum voluntariæ ſunt: huic ergo cumprimis imputantur. Hinc agenti phyſico non imputatur ſua actio, niſi ſimul ſit ejus cauſſa moralis: cauſſæ autem morali imputatur ſua, licet non ſit ſimul ejus cauſſa phyſica. Et ſi vel maximè cauſſa moralis ſimul cauſſa phyſica ſit, non tamen huic ut cauſſæ phyſicæ, ſed ut cauſſæ morali imputatur actio, licet aliquo in caſu fortè eò magis imputetur, quòd ſimul ejus cauſſa phyſica eſt: quoniam ſic & phyſicè & moraliter, adeoque ſimpliciter propria ejus actio eſt. Ita qui ſuâ quidem manu aliquem, ſed ex ignorantia inſuperabili occidit, non eſt reus homicidii, quia interfectionis ſolùm cauſſa phyſica eſt: imò interfectio eatenus non eſt actio moralis. Qui verò non interfecit ſuâ manu alterum; ſi quid tamen ſciens & volens ad cædem ipſius contulit; juſtâ imputatione reus eſt homicidii, ſaltem quia cauſſa ejus moralis eſt. Neque qui & manu ſuâ, & ſciens ac volens aliquem occidit, ideò reus eſt homicidii, quòd ſua manu occidit; ſed quòd ſciens & volens fecit: licet eò, quòd ſua manu cædem patravit, gravius fortè deliquerit.

§. 32. Nempe ſunt gradus imputationis, dum huic magis, alii minùs imputatur ſua actio. Differentia iſthæc oritur ex diverſo cauſſarum moralium cauſſandi modo, & proinde tam variat, quàm ipſæ cauſſæ morales. In omnibus primò & principaliter propria voluntas ſpectatur, quæ præcipua imputationis ratio eſt, & ubi directa voluntas excluditur, minimùm indirecta requiritur ac ſufficit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

Non autem qui directè appetit & vult aliquam actionem, ſtatim ejus cauſſa eſt, niſi etiam ipſi eſſe quodam modo ſuum largiatur. Quod quidem vel *immediatè*, vel *mediatè* fecerit: immediatè per proprium influxum; quomodo cauſa moralis & phyſica ſimul eſt; mediatè, per influxum alîus cauſæ, dum ſcilicet movet aliam cauſam, ut agat, & influxum agendi præſtet; quomodo illa quidem cauſa moralis tantùm eſt, ſed quam ad agendum movet, hæc cauſſa phyſica actionis eſt. Movet autem illa hanc, dum agit aliquid, absque quo ſi eſſet, hæc non ageret; eatenus illa ad hujus actionem aliquid confert. Quod quidem pluribus fit modis: ſiquidem hic eſt cauſa moralis, quòd actionem juſſit, ille quòd ſuaſit, iſte quòd muneribus alterum ad agendum induxit, alius quòd inſtrumenta ſubminiſtravit. Quin & quidam, ex directâ actionis promovendæ voluntate ac intentione, non eam impedit, cum poſſit ac debeat, & ſic mediâ debiti officii omiſſione actum cauſandi exercet.

§. 33. Indirecta etiam voluntas in ſuo conceptu includit aliquam actionem vel omiſſionem, absque qua ſi eſſet, actio imputata non in rem abiiſſet. Siquidem indirectè actionem velle, nihil aliud eſt, quàm appetere & facere aliquid, ad quod ſcias actionem ſequi, aut non impedire eam, cum poſſis ac debeas. Ob hos & plures cauſandi diverſos actus ac modos fit, ut uni magis, alteri minus imputetur ſua actio. Augent etiam vel minuunt imputationem circumſtantiæ, ſicut qui jubet, ſi eſt Princeps; & qui ſvadet, ſi eſt vir prudens; huic magis imputatur actio, quâm qui ſuâ manu operatus eſt. Aliquando etiam unius ejusdemque actionis plures ſunt cauſſæ morales,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

les, quarum unicuique actio, ſed inæqualiter imputatur, prout plus minusvè ad actionem contulerunt. Huic ut immediato agenti, illi ut ſvadenti vel jubenti, alii ut non impedienti, pro debitâ cujusque actûs cauſſandi menſurâ, imputatur.

§. 34. Jam ut imputatio *legitima* à *naturali*, qui ſcopus hujus tractationis eſt, rectè diſtinguatur, nec voluntas *interpretativa*, cum *indirectâ* confundatur: ſciendum eſt, quod ex dictis ferè ſequitur, naturaliter omnem actionem ſuæ cauſſæ morali, aut ſi plures ejus cauſſæ morales ſunt, his omnibus imputari, ſive una earum ſimul cauſſa phyſica ſit, ſive minus. Neque obſtat, quòd in tantum actio aliena eſt, in quantum is, cui imputatur, non eſt cauſſa ejus phyſica: ſufficit enim ad naturalem imputationem, eſſe actionem propriam in genere morum, eumque cui imputatur, cauſſam ipſius moralem eſſe. Annexa quidem eſt aliqua fictio, quatenus is, qui non eſt cauſſa phyſica actionis, perinde habetur, ac ſi phyſica ejus cauſſa eſſet. Verùm quia iſthæc interpretatio fundatur in imputatione naturali, quâ actio eidem ut ſuæ cauſſæ morali adjudicatur, non peculiarem imputandi modum inducit. v. g. Qui manu ſua alterum non interfecit, ſi quid tamen ſciens & volens ad interfectionem ipſius contulit, perinde habetur, ac ſi manu ſuâ ipſum interfeciſſet: quandoquidem æquè peccavit contra legem, æquè eſt reus homicidii, æquè punitur; idque naturali imputatione. Habet enim fundamentum imputationis, quod eſt propria ac directa tollendi è medio hominis voluntas: habet & complementum, eò quòd ad interfectionem ipſius quid contulit. Neque enim qui in directâ voluntate conſiſtit cauſſandi

actus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

actus, per influxum præciſè, ſed vel per influxum, vel per alium quemcunque actum completur, quo, ut fiat actio, promovetur. Ubi ergo directa voluntas non eſt conjuncta cum influxu, ſufficit ad naturalem imputationem, conjungi cum alio actu, absque quo ſi eſſet, actio propoſita non in rem abiret. Quomodo etiam intelligendum eſt, quod vulgò dicimus, *eum qui per alium aliquid facit, per ſe feciſſe cenſeri.* Nempe, qui per alium aliquid agit, ut cauſſa moralis per cauſſam phyſicam, & eò maximè, quòd ad agendum cauſſam phyſicam ſive juſſu, ſive ſuaſu, ſive ſimili aliquomodo induxit, eodem habetur loco, ac ſi manu ſuâ id egiſſet, adeóque cauſſa etiam phyſica eſſet.

§. 35. Contrà *legitima imputatio* eſt, quâ is cui ſimpliciter actio eſt aliena, h. e. qui neque cauſſa phyſica, neque cauſſa moralis actionis eſt, eodem habetur loco, ac ſi ejus cauſſa eſſet. Quæ mera fictio juris eſt. Fit quidem, ut Is, qui neque cauſſa phyſica, neque cauſſa moralis actionis eſt, ſit cauſſa ejus per accidens, veluti ſi citra influxum & voluntatem, quicquam ad actionem contulerit. Huic tamen ſi imputatur actio, non ideò imputatur, quia cauſſa ejus per accidens eſt. Nulli enim cauſſæ per accidens, quà tali, actio ſua imputatur. Dico, *quà tali:* aliquando enim cauſſa per accidens eſt etiam cauſſa per ſe, diverſo modo: cui ſi imputatur actio, non ut cauſſæ per accidens, ſed ut cauſæ per ſe imputatur. Verùm qui neque cauſſa phyſica neque cauſſa moralis actionis eſt, ſi quid tamen ad ipſam contulit, ita eſt cauſſa per accidens, ut nullo modo ſit cauſſa ejus per ſe. Inſuper actio ei perſonæ, cui imputatur, niſi utplurimùm, ſæpe tamen ita eſt aliena,
ut

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

ut ne quidem inde velut à cauſsâ per accidens proficiſcatur: non ergo ei, ut cauſæ per accidens, ſed alio ex capite imputatur. Et hæc demum eſt imputatio legitima; ac voluntas interpretativa, cujus nulla alia niſi lex cauſſa eſt, nec aliud fundamentum, niſi æquitas: puta cum alicui & citra influxum, & citra voluntatem, & citra habitudinem cauſſæ per accidens, imputatur actio.

§ 36. Nunc ut ad propoſitum revertamur, à quo diu abfuimus; peccatum quod ab Adamo commiſſum eſt in paradiſo, contra unam legem poſitivam, comparatione quidem Adami, ſimpliciter proprium ipſius peccatum eſt, quippe cujus ipſe, per influxum phyſica, & per directam voluntatem moralis cauſſa eſt: imputatur ergo Adamo, ut cauſſæ morali, ob directam voluntatem cum influxu phyſico conjunctam: quæ eſt ſuperiùs explicata naturalis imputatio. Idem comparatione poſterorum, planè alienum peccatum eſt, ad quod ipſi nec phyſico influxu concurrerunt, neque directâ vel indirectâ voluntate, neque etiam per accidens quicquam contulerunt. Nihil enim horum potuit proficiſci ab iis, qui nondum erant nati, ſed adhuc in lumbis Adami continebantur. Quæritur ergo; an quod poſteris adeò prorſus alienum eſt peccatum, nihilominus illis idem numero, quaſi proprium imputetur? h. e. an poſteri, cùm peccatum illud non commiſerint, eodem tamen habeantur loco, ac ſi illud commiſiſſent; ſcilicet quoad peccati demerita, aliosque effectus morales. Signanter imputationem ad *idem numero peccatum* reſtringo, ne extendatur ad peccata, quæ poſteri ad imitationem peccati Adamitici committunt. Dum enim dicuntur in Adamo peccaſſe;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

non tantùm eodem tempore, quo ille, ſed etiam idem, quod ille, peccaſſe intelliguntur. Utramque reſtrictionem additum *in Adamo* ſignificat. Unde quæ poſteri deinceps nati, adultiori tamen ætate, commiſerunt peccata, & jam ſuperſtites adhuc committunt, non rectè dicuntur *in Adamo commiſiſſe vel committere*, quia & numero ſunt diverſa à peccato Adami, & tempore ſeparata.

§. 37. Sed & ad imputationem peccati lex concurrit, contra quam illud eſt commiſſum, quoniam ut bonæ & legitimæ actionis regula lex eſt, ita etiam malam actionem peccatumq; aperit ac manifeſtat. *Per legem eſt agnitio peccati*, ait Paulus Rom. III, 20. Item *peccatum non imputatur*, *quum lex non eſt*, Rom. V, 13. Lex autem habet *vim directivam*, quatenus ad proſequendas bonas actiones & ad fugiendas malas dirigit; ac *vim coactivam*, quatenus inobedientibus pœnam comminatur, & pœnæ reos agit. Unde & imputatio eſt duplex: una ad *culpam*, ſecundùm vim legis directivam: altera ad *pœnam*, ſecundùm vim legis coactivam.

§. 38. *Culpa* hic non dicitur ſenſu Juridico, prout à *dolo* contradiſtinguitur, ſed eſt proprietas omni peccato communis, & ex eſſentia peccati fluit. Peccatum actuale eſſentialiter eſt voluntaria legis violatio: ex quo fluit, ut qui peccavit, reus ſit violatæ legis, & hic reatus eſt culpa. Statim quidem atque patratum eſt peccatum, tranſit, neque uſquam amplius ſubſiſtit. At culpa eſt reatus permanens, etiam poſtquam peccatum tranſiit, ſiquidem reatus eſt ex peccato antegreſſo. Eo igitur ipſo momento, quo quis peccat, incurrit reatum ita, ut ceſſante peccandi actu, reus violatæ legis habeatur. Et hoc eſt, *pec-*

catum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

catum ad culpam imputari. Peccati etiam conſequens eſt pœna, vel potius *reatus pœnæ.* Peccatum enim eſſe poteſt ſine pœna, ſed non ſine reatu pœnæ. Imò per remiſſionem peccati pœna planè tollitur: manet autem reatus. Nempe ex quo aliquis peccavit, pœnæ eſt reus, ſive puniatur aliquando, ſive nunquam. Reatus enim pœnæ eſt ab ipſo peccato; ſed pœna actualis à judice legis violatæ juſto vindice infligitur. Unde imputatio ad pœnam hic non dicitur, qua is qui peccavit, actu à judice ad ſuſferendam pœnam condemnatur; ſed quâ ob admiſſam & hærentem in ſe culpam reus pœnæ cenſetur, etiamſi actu nunquam puniatur. Ita res ſe habet in divino pariter ac humano foro. Quod autem dicunt Theologi, in baptiſmo infantùm tolli reatum, ſed peccatum manere: accipiendum eſt de actuali condemnatione, puta quòd infantes licet, ob hærentem in ſe culpam peccati originis, rei ſint æternæ condemnationis; in baptiſmo tamen & per baptiſmum liberentur, ita *ut nulla ſit condemnatio iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu,* Rom. VIII, 1. Cui placet loqui cum Philoſophis, dicat, tolli reatum in actu ſecundo, qui eſt condemnatio; ſed non tolli in actu primo; quoniam hic demùm eſt ille actus, quem peccato neceſſariò ac per ſe cohærere dixi.

§. 39. Cœterùm quò rectiùs intelligatur, quid de imputatione ad culpam ac pœnam jam ſit in quæſtione, unum atque alterum notandum eſt. Et primùm quidem velimus notari, ex culpâ peccati actualis ſæpe ſequi defectum aliquem culpabilem, quem ita vocamus, quia & ipſe ad culpam imputatur. Differentiæ cauſsâ hanc culpam externam, illam internam appellare lubet. Illa enim

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

eſt in ipſo peccato, à quo nec reapſe diſtinguitur: hæc vero extrinſecus oritur, ut quid à peccato actuali diſtinctum. Quemadmodum autem bona omnia vel corporis, vel animæ, vel fortunæ ſunt: ita & defectus culpabiles, qui ex peccato oriuntur, talis alicujus boni ſunt. Defectus bonorum corporis vel fortunæ in ſe non ſunt culpabiles, veluti cœcitas, paupertas; quia non ſicut actiones morales ſub legem cadunt, adeoque nec culpam ſive reatum τῆς ἀνομίας includunt: culpabiles tamen ſunt origine, quatenus ex peccatis, & ſic ex cauſsâ culpabili oriuntur. Hinc ait Ariſtoteles lib. III. Eth. Nic. cap. VII. *Nullus ei, qui vel naturâ, vel ex morbo, vel ex vulnere factus ſit cœcus, cœcitatem exprobrabit, ſed miſerebitur potius: at eum objurgant omnes, qui ex temulentia, vel aliâ quapiam intemperantia, excæcatus fuerit, atq; ita fit ut vitia corporis, quæ in noſtra ſunt poteſtate, vituperentur*, ſcilicet ob culpabilem originem. Verùm defectus ac vitioſi habitus animi, non origine ſolùm, ſed etiam in ſe ſunt culpabiles. Non, inquam, ſolùm oriuntur ex peccato aliquo actuali, ſicut injuſtitia crebris actionibus injuſtis, intemperantia crebris voluptatum fruitionibus contrahitur; ſed etiam in ſe culpam τῆς ἀνομίας includunt, quatenus ad agendum contra legem diſponunt, & inclinant. Quando ex quodam peccato actuali, præter culpam internam, dixi oriri defectum aliquem culpabilem, ſive qui etiam ad culpam imputetur; hoc accipiendum eſt de tali aliquo defectu, qui non origine, ſed etiam in ſe ſit culpabilis. Non autem æqualiter peccatum actuale ad utramque culpam, ſed primò & directè ad culpam internam, indirectè verò etiam ad defectum alterum culpabilem, velut ad culpam externam impu-

imputatur. Ita quando homo renatus peccatum mortale committit, hoc ipſi non ſolùm imputatur, quatenus in ſe ἀνομίαν habet, quæ eſt culpa ejus interna, ſed etiam quatenus excutit Dei gratiam, cujus excuſſio in ſe culpabilis defectus, adeoque culpa quædam externa eſt, quandoquidem eſt defectus gratiæ ſecundùm pactum evangelicum adeſſe debitæ, & hominem de peccato in peccatum labi facit. Sic qui malis actibus crebrò iteratis excutit virtutem moralem, & vitium ſibi contrahit, huic non modo imputantur mali actus, quatenus in ſe mali ſunt, quæ eſt culpa ipſorum interna, ſed etiam quatenus excutiunt virtutem, & vitium gignunt, quæ culpa ipſorum externa eſt. Ad eundem modum, Adamo peccatum ſuum actuale non ſolùm imputatum fuit, ad culpam internam, quatenus in ſe habuit ἀνομίαν, ſed etiam ad culpam externam; quatenus excuſſit juſtitiam originalem, cujus voluntaria excuſſio culpabilis defectus, & propriè ac formaliter quoq; peccatum eſt. De peccaro Adami utrumque quæritur, tum an imputetur poſteris ad culpam internam, ut, quæ Adami fuit culpa, eadem poſterorum eſſe culpa cenſeatur: tum an imputetur ipſis ad culpam externam, puta ut ipſi quoque propter peccatum actuale ſibi imputatum juſtitia originali careant, eoque culpabilem defectum, qui proprie & formaliter peccatum ſit, incurrerint.

§. 40. Sed & de pœnâ id velimus præ oculis haberi, quòd vox illa non ſemper eodem modo accipiatur. Propriè & formalitet *pœna* dicitur per *reſpectum culpæ*, ſicut præmium per reſpectum meriti ſive operis meritorii, & effectus per reſpectum cauſſæ. Eſt autem pœna perſonale malum, ſicut & culpa: unde ad eandem per-

 ſonam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

ſonam reſtringuntur, ita quidem, ut cujus eſt culpa, ejus ſit pœna, & viceverſâ. Qui ſcilicet volens peccavit, æquum eſt, ut ille idem invitus puniatur. Non ergo quodlibet malum, quocunque reſpectu ad culpam pœna eſt, ſed *malum illius perſonæ proprium, cujus propria eſt culpa, quatenus culpa illius etiam cauſſa eſt.* Brevius: *malum, quod qui culpam admiſit, propter culpam incurrit.* Sic intelligendus eſt Auguſtinus, cum ait libr. I. de retract. cap. IX. *omnis pœna, ſi juſta eſt, peccati* (ſc. proprii) *pœna eſt, & ſupplicium nominatur.* Quod adeò verum eſt, ut ſi culpa nobis non ſit cognita, pœna tamen ad culpam latentem referatur. Ita ſæpe in foro divino nos *latet culpa, ubi non latet pœna*, ſicut annotat Hugo Grotius libr. II. de Jure B. & P. cap. XX. Quare autem proprie & formaliter is ſolum, qui peccavit, puniatur, rationem exponit Benedictus Pererius in Geneſ. tom. II. lib. XIV, diſput. IV. n. 163. *Si pœna*, inquit, *propriè ſumatur, neceſſario reſpondet peccato, nec ſine eo poteſt eſſe, ſiquidem per pœnam compenſatur & reficitur æqualitas juſtitiæ per peccatum violata: ut, quia peccando quis, ut ſuæ voluntati obſequeretur, transgreſſus eſt legem, ſubeat à lege pœnam contra ſuam voluntatem: & dulcedo peccati contra legem admiſſi compenſetur acerbitate pœnæ per legem illatæ.*

§. 41. Fit autem, ut etiam is, qui non peccavit, puniri dicatur, ob quemcunque quem ad alienum peccatum habet, reſpectum, qui multiplex eſſe poteſt & varius. Verùm hæc non propriè & formaliter, ſed ſolùm materialiter pœna eſt. Materiale pœnæ eſt malum quid, quod dolorem affert. Hugo Grotius *malum paſſionis* vocat. Formale eſt *reſpectus ad proprium peccatum*, quo ceu

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

ſuprà expoſui, requiritur, ut proprium ſit ejus malum, cujus proprium eſt peccatum. Unde nota pœnæ definitio, apud Hugonem Grotium ſic intelligitur: *Pœna eſt malum propriæ pasſionis, quod infligitur ob malum propriæ actionis*, id eſt, ob proprium peccatum. Ita cum eum, qui non peccavit, reſpectu peccati alieni puniri dicimus; nihil aliud ſignificamus, quàm pati eum malum illud, quod ſi ipſi reo pro proprio peccato imponeretur, pœna propriè & formaliter eſſet: nunc verò cum innocenti imponatur, eatenus propriè dictam pœnam non eſſe tacitè connotamus. Ita Chriſtus, quia ipſe non peccavit, non propriè & formaliter punitus eſt, dum pro peccatis noſtris ſibi imputatis perpeſſiones multas mortemque ipſam ſubiit. Qui autem ex hominibus damnantur, quia ob peccata propria damnantur, propriè & formaliter puniuntur. De peccato Adami non quæritur, an poſteris ad pœnam quocunq; modo dictam, ſed an ad pœnam, ſub propria & formali pœnæ ratione, imputetur. Non, inquam, quæritur, an poſteri ob peccatum Adami ſibi quocunque modo imputatum, citra reatum, malis afficiantur & affligantur, ſed an quaſi ob proprium peccatum, ſint rei pœnæ, & propriè ac formaliter puniantur.

§. 42. Quibus ita ad declarandum ſtatum controverſiæ præmiſſis, videamus nunc primùm hæreticorum, deinde Scholaſticorum, denique & aliorum ſententiam. Hæreticos hîc voco, qui negant peccatum originis, vel ſaltem imminuunt ita, ut etiam vis meriti Chriſti & neceſſitas gratiæ vel minuatur, vel planè tollatur. Hi autem variè ſcinduntur, prout cuique viſum eſt, neceſſitatem admittendi peccati originis effugere ſe poſſe. Plerique

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

rique concedunt, peccatum Adami imputari poſteris, ſed contrà, quàm in quæſtione eſt, rem exponunt. Pelagiani in tantum imputationem peccati Adami concedunt, in quantum poſteri id imitantur. Ipſe etiam Pelagius initiò non improbavit illam locutionem, quâ in Adamo omnes poſteros peccaſſe dicimus, ſub reſtrictione ad imitationem. *In Adamo peccaſſe omnes*, ait, *non propter peccatum naſcendi origine attractum, ſed propter imitationem dictum eſt*; apud Auguſtin. libr. de nat. & grat. cap. IX. veruntamen cùm circumſpectiùs conſideraret, per additum *in Adamo* reſtringi verbum peccandi ad tempus lapſûs Adami; poſteros autem tum temporis imitando peccare non potuiſſe, quòd nondum exiſterent; poſteà non omnes *in Adamo*, ſed omnes ſine addito, omnes tamen adultos imitando peccâſſe ſtatuit, & propoſitionem Paulinam, ἐφ᾽ ᾧ πάντες ἥμαρτον, ſine reſpectu ad Adamum, cauſſalem cauſſatæ mortis in poſteris adultis eſſe voluit, ut ſenſus ſit: *Quia omnes adulti imitatione peccati Adami peccarunt*, *ideò mors in omnes pervaſit*. Sed enim quomodocunque particula ἐφ᾽ ᾧ exponatur; propoſitionem illam, quâ *omnes in Adamo peccaſſe* dicimus, Pauli menti conſentaneam eſſe ſuprà oſtendi. Hanc autem locutionem non poſſe accipi de peccati Adami imitatione, ſicut res ipſa docet, ita conceſſit Pelagius. Fac interim, recte ſic exponi: peccati Adami imitatio non eſt ejusdem imputatio. Nam imputatio eſt ejusdem numero peccati, ſed imitatio diverſum ac proprium imitantium peccatum eſt. Si itaque poſteri in Adamo imitatione peccarunt, his primò & directe ac proximè, ſua imitatio, ut proprium peccatum, imputatur; peccatum autem Adami, non niſi remotè, ut imitationis exemplar.

§. 43.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

§. 43. Prætereà non apparet, quomodo poſteri Adami jam adulti rectè dicantur imitari peccatum Adami. Propria enim & formalis imitationis ratio eſt, ut & cognitum ſit exemplar, ac quaſi ante oculos poſitum, & id quoad ejus fieri poteſt, intra eandem ſpeciem exprimatur, ac quaſi effingatur. Sed qui hodie peccant, ſine reſpectu ad peccatum Adami peccant. Credunt quidem, Adamum peccaſſe, qui Chriſtiani vel Judæi ſunt, ſed cum nuſquam amplius ſit peccatum Adami, id imitandum ſibi non proponunt. Multò minus gentes, quibus non facta eſt revelationis copia. Ad hoc nulli intra eandem peccati ſpeciem peccant, ut quemadmodum Adam, ſic ipſi fructu vetito arboris ſcientiæ boni & mali veſcantur: tantum abeſt, ut peccatum Adami ſui poſteri imitari cenſeantur. Imitantur autem patris peccatum ii filii, qui cum videant, v. g. intemperanter patrem vivere, ipſi quoque intemperanter vivunt.

§. 44. Apoſtolus, inquies, facit mentionem aliquorum, *qui non ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami peccarunt*, Rom. V, 14. Ergo tacitè ſubinnuit, eſſe etiam aliquos, qui ad ſimilitudinem transgreſſionis Adami peccaverint, vel adhuc peccent: ſed hoc eſt, transgreſſionem Adami imitari. De conſequentia nihil ut dicam, nego, *peccare ad ſimilitudinem tranſgresſionis Adami*, idem eſſe, quod *tranſgreſſionem ſive peccatum Adami imitari*: hoc enim ejus eſt, qui ex intentione ſibi hunc proponit finem, peccatum alterius ut imitetur & quaſi effingat: illud verò latius patet, & de eo quoque dicitur, qui ſine propoſito tale quid, quale alterum eſt, efficit, ſicut aliquando domus domui, ſine propoſito, ſimilis efficitur. Quod ſi autem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

imitari materialiter accipiatur, prout idem eſt, quod quocunque modo alterum alteri ſimile efficere: nihil cauſſæ dico, quin poſteri adulti imitati ſint peccatum Adami, & adhuc imitentur, non quidem intra eandem peccati ſpeciem, ſed intra idem genus, puta quòd æquè actualibus ſe peccatis obſtringunt, quæ quatenus actualia peccata ſunt, ejusdem generis ſunt cum peccato Adami, licet ſpecie diſtinguantur. Ita quod Paulus aliquos *ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami non peccaſſe* ait, Auguſtinus & alii poſt ipſum de infantibus accipiunt, puta quòd non æquè ac Adamus actualium peccatorum ſint rei.

§. 45. Quanquam autem eo ipſo non hæreſeos arguendi ſunt Pelagiani, quòd peccatum Adami poſteris propter imitationem imputari contenderint: eò tamen maximè hæretici ſunt, quòd id huic fini enixiſſimè egerunt, ut nihil peccati in poſteris, præter imitationem, adeoque nec peccatum originis, ex lapſu ac peccato primi parentis, ſupereſſe evincerent. Propiùs hanc metam verſus ſe ferri putarunt Albertus Piggius, & Ambroſius Catharinus, ſi peccatum Adami poſteris etiam citra imitationem imputari docerent. Sed ſuo ſe gladio jugulant, dum non ad culpam, & tamen ad pœnam id imputari ſtatuunt. Ita enim loquuntur: *peccatum originis, quo parvuli naſcuntur obſtricti, illam ipſam prævaricationem actualem Adæ eſſe, quæ ab Apoſtolo dicatur in mundum intraſſe, non per ſe, ſed ſecundum ſuos effectus, nempe ſecundùm pœnam, quam etiam Adæ poſteri ſubeunt.* Vide opuſculum Catharini de peccato originali. Non recogitavit malè feriatorum par hominum, pœnam non dari ſine reſpectu ad propriam culpam. Quibus ergo non putarunt peccatum Adami ad culpam impu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

imputari, quâ fronte id ad pœnam imputari tradiderunt? Pœnam, inquies, impropriè & materialiter acceperunt. At non eſt hoc in quæſtione, an peccatum Adami poſteris ad pœnam quocunque modo imputetur, neque ſi id aſſeratur, ad fidem ſufficit, quâ credimus, ac credere tenemur, poſteros propter peccatum Adami etiam culpæ ac pœnæ propriè ſic dictæ reos eſſe, adeò ut niſi remiſſionem conſequantur, æternùm pereant.

§. 46. Contrà Auguſtinus, quò rectiùs Pelagianis occurreret, haud obſcurè docuit, peccatum Adami poſteris, eo ſenſu, quo quæſitum eſt, tum ad culpam tum ad pœnam imputàri; ſcilicet ut æquè rei violatæ legis cenſeantur, contra quam Adam peccavit, quæ eſt culpa peccati Adamitici interna; æquè defectum juſtitiæ originalis incurrerint, quæ eſt culpa externa; æquè denique æternæ damnationis ſint rei, quæ eſt pœna. Ad culpam pertinet, quod ait libr. XVI. de civ. Dei. cap. XXVII. *Etiam parvuli, non ſecundùm vitæ ſuæ proprietatem, ſed ſecundùm communem generis humani originem omnes in illo teſtamentum DEI diſſiparunt.* Item libr. XIII. cap. XIV. *Omnes enim fuimus in illo uno, quando omnes ille unus corrupit.* Et retract. lib. I. cap. X. *In primis hominibus natura humana peccavit, ac per hoc naturæ humanæ nulla nocuere peccata, niſi ſua.* Sed & pœnam communem eſſe Adamo & poſteris, paſſim docet. *Pro magnitudine culpæ illius*, inquit, *naturam damnatio mutavit in pejus, ut quod pœnaliter præceſſit in peccantibus hominibus primis, etiam naturaliter ſequeretur in naſcentibus cæteris.* Lib. XIII. de civ. D. cap. III.

§. 47. Auguſtinum ſecuti ſunt, qui ſub illius tempora vixerunt. Paulus Oroſius apologetico de arbitrii liber-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

tate utramque imputationem tùm ad culpam, tùm ad pœnam ſic deſcribit: *Peccante uno homine, peccat genus humanum, Deum quoque pœnitet, quod hominem feciſſet in terra, — regnumq́ in univerſos mortis invaluit.* Sed & ad culpæ imputationem pertinet illud Proſperi contra ingratos cap. XXVII.

Corruit (ſc. Adamus) *& cuncti ſimul in genitore cadente*
Corruimus.

§. 48. Ab Auguſtino recedere, religio quoque fuit Scholaſticis, iis maximè qui in Thomam commentantur. Plerique enim docent, peccatum originale in poſteris eſſe *voluntarium voluntate Adami*, quod nihil aliud eſt, quam voluntatem & peccatum Adami poſteris ad culpam imputari, ita quidem, ut & ipſi cum Adamo rei ſint violatæ legis DEI, & ob id juſtitiâ DEI originali careant. Quin & ex noſtrorum Theologorum hypotheſibus eadem ſententia ſequitur. Concedunt enim eousque peccatum actuale Adami imputari poſteris, ut propterea & ipſi juſtitiâ originali careant, quam dixi ſuprà culpam externam peccati actualis Adami. Ergo non negant, imputari id etiam ad culpam internam, & conſequenter ad pœnam. Quoniam à culpâ interna & proximè pœna oritur & culpa externa. Ipſum etiam illud Paulinum, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον, ſalvâ fidei analogiâ ſic exponi poteſt, ſi ponatur hypotheſis, quam noſtri negant, verbo ἥμαρτον peccatum actuale ſignificari, ut ſenſus ſit: *in Adamo omnes peccarunt, quatenus peccatum Adami omnibus ad culpam pœnamq́ imputatum fuit.*

§. 49. Hactenus & Patres & Scholaſtici & noſtri Theologi rectè docent, quibus ad roborandam etiam fidem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

dem ſufficit, quòd auctoritas Scripturæ Sacræ ſuffragatur. Sed non acquieſcunt adverſarii, niſi modum & cauſſam imputationis videant. Igitur his ut occurratur, in modum cauſſamque inquirendum eſt. Cur & quomodo proprium peccatum ei imputetur, cujus eſt proprium, non quærenda eſt ratio, nec modus. Naturalis enim hæc imputatio eſt, quæ ex ipſa proprietate peccati fluit, ſive ut ſupra expoſui, ex eo, quòd is, cujus eſt proprium, ejus cauſſa minimùm moralis eſt. At quando ad peccatum Adamiticum poſteri neque influxu phyſico concurrerunt, neque directâ vel indirectâ voluntate, neque etiam per accidens quicquam contulerunt: id maximam difficultatem habet, an & quare ac quomodo nihilominus poſteris ad culpam pœnamque imputetur? Sine dubio ea non plus quàm legitima imputatio eſt, quam JCtis *fictionem juris*, Scholaſticis autem voluntatem *interpretativam* dici, ſuprà meminimus: ſed cùm hujus nulla vis ſit in genere morum, niſi ab æquitate; æquitas autem rationibus demonſtranda ſit; adverſarii rationes æquitatis à nobis exigunt & exſpectant.

§. 50. Ex jure & conjunctione perſonarum oriri actionum ac voluntatum communionem, apud omnes in confeſſo eſt. Quando ſcilicet alter ſuperior, alter inferior eſt, hic illius voluntati ut ſuam conformet, obligatus eſt, in iis, in quibus inferior, illique ſubjectus eſt. Fit autem hoc dupliciter: primùm cum inferiori eadem facit, quæ ſuperior præcepit: deinde cum ſuperiori per ſeipſum quid facienti non reſiſtit. Totidem modis voluntas ſuperioris eſſe voluntas inferioris cenſetur. Utrum autem hic fictio aliqua interveniat, nondum in expedito eſt. In-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

tereſt autem inter voluntatem, quâ ſuperior quid præcipit, & eam quâ per ſe, & ſine præcepto ad alterum, quid facit. Illi in inferiore obediendi, huic debita non reſiſtendi voluntas reſpondet. Habet ergo ſuperior in inferiorem jus, hic ut ſibi præcipienti parere, & per ſe ipſum aliquid facienti non reſiſtere teneatur. Quo fit, ut ſuperioris voluntas eſſe voluntas inferioris cenſeatur. Si utriusque voluntas eſt expreſſa, non locus eſt fictioni juris, ſed ſua utrique voluntas naturaliter imputatur: & dicitur una voluntas, quia unius eſt objecti, licet ſecundum actum & hujus formalem rationem ſit diverſa. Nam præcipiendi voluntas, non eſt obſequendi voluntas; & voluntas, qua ſuperior per ſeipſum quid facit, non eſt ea voluntas, qua inferior non reſiſtit: licet ejusdem objecti habeantur. Quando autem penes inferiorem non eſt expreſſa voluntas, imputatur ipſi voluntas ſuperioris, per fictionem juris, tum ut idem velle facere, quod ſuperior præcepit, tum ut quid per ſe ipſum facienti non reſiſtere voluiſſe cenſeatur.

§. 51. Duplex eſt conjunctio; *phyſica*, ſive quæ à natura oritur, qualis eſt inter patrem & filium; & *moralis*, ſive quæ conſenſu ſive tacito, ſive expreſſo contrahitur, qualis eſt inter Dominum & ſervum, inter Principem vel Regem ac populum. Utraque conjunctio alteri in alterum jus concedit, ut quicquid ille velut ſuperior præceperit, vel per ſeipſum fecerit, hic parere aut non reſiſtere teneatur. Fundamentum non eſt quid fictum, quoniam ibi *natura* eſt, hic *mutuus conſenſus*. Si etiam inferior expreſſa voluntate idem vult, quod ſuperior præcepit, aut per ſeipſum facit: ſua ipſi voluntas citra fictionem imputatur.

tatur. Sin minus; ex eo tandem, quòd paret vel non reſiſtit, idem velle etiam citra fictionem cenſetur. Ratio eſt, quia ſive per naturam ſive per conſenſum in eo ſtatu eſt, ut parere vel non reſiſtere teneatur, & teneri ſe ſciat. Directa quidem voluntas non eſt, ſi non eſt expreſſa. Quid? ſi duobus indirectæ voluntatis modis ſuprà commemoratis hic velut modus tertius addatur. Ita poſtquam populus omnem voluntatem ſuam in unum Principem vel Regem conjecit, ſcit ſe jam in eo eſſe ſtatu, ut Principi vel Regi præcipienti vel aliud quid ſtatuenti aut facienti refragari non debeat. Quando ergo non refragatur, idem quod Rex vel Princeps velle etiam citra fictionem cenſetur. Ita res ſe habet, cum inferior ad rationis uſum adolevit, ut quid ſuperiori debeat, ſcire poſſit, ac ſciat. Veruntamen fit, ut, cum pater aliquid ſtatuit de bonis ſuis, ipſius voluntas eſſe voluntas filii cenſeatur, non dicam cum infans eſt, ſed cum adhuc in utero matris, imò cum adhuc in lumbis patris ſui eſt, nec niſi poſt plures annos demùm naſciturus. Hæc mera fictio eſt, quæ nec ex conjunctione formali, ſed ex virtuali oritur, & in eo conſiſtit, quod ſi filius ad uſum rationis adoleviſſet, aut qui nondum natus eſt, ſi viveret & ratione uti jam poſſet, deberet patri tale quid de bonis ſuis ſtatuenti non refragari, & ſic idem, quod ipſe, velle cenſeretur.

§. 52. Verùm nulla eſt tam abſoluta hominum poteſtas, quin ſit infra Deum, ac Dei legibus adſtringatur. Quo fit, ut voluntas ſuperioris ſit inferioris voluntas, cum hac limitatione, ſi ſuperior nihil præcipiat, vel ſtatuat, vel faciat, quod ſit contra Deum, ac Dei legem. Neque enim quis per naturam, neque per conſenſum in eum ſtatum redigitur,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

digitur, ut velle ea debeat, quæ ſunt contra Dei legem. Fac igitur, patrem ſtatuere vel facere quid, quod ſit contra Dei legem: neque ante neque poſtquam filius eſt natus, niſi ſponte ſuâ conſentiat, idem velle cenſetur: quia ſi viveret & ratione uti poſſet, ſciret non debere ſe id velle: Accedit & hoc, quòd voluntas ſuperioris, non ſit voluntas inferioris, niſi in iis rebus, in quibus hic illi eſt ſubjectus, & quæ quodammodo ad utrumque pertinent, ſicut patris voluntas interpretativè eſt voluntas filii, cum pater ſtatuit aliquid de bonis ſuis, quæ patri cum filio communia, veluti cum bona vendit vel emit, vel donat, vel quocunque modo alienat.

§. 53. Quantum ad præſens attinet, ſi Adami voluntas fuit poſterorum voluntas, non fuit ob conjunctionem *moralem*. Nam antequam exiſterent poſteri, non potuerunt dici, voluntatem ſuam in unam Adami voluntatem conjeciſſe. Conjunctio *phyſica* quæ fuit, quoque non formalis fuit, ſed tantum virtualis, quoniam poſteri adhuc in lumbis Adami continebantur. Si Adamus voluiſſet & feciſſet quid, quod non fuiſſet contra legem Dei, in re ad poſteros æquè pertinente: tum nihil cauſſæ dicerem, quin ipſius voluntas interpretativè voluntas poſterorum fuiſſe cenſeretur: quia ſi vixiſſent poſteri, non refragati fuiſſent communi ſuo parenti, ut qui ſciviſſent ſe per naturam in eo eſſe ſtatu, in quo refragari non deberent. Nunc verò cum Adamus comederit de fructu arboris ſcientiæ boni & mali, contra legem Dei, & ita enormiter peccaverit, reatumque æternæ damnationis ſibi contraxerit, negant adverſarii, voluntatem Adami interpretativè voluntatem poſterorum fuiſſe. Si enim vixiſſent poſteri, niſi

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

niſi ſponte ſuâ factum Adami probaſſent, vel imitati fuiſſent, vel quocunque modo in id conſenſiſſent, vi conjunctionis ac ſubjectionis phyſicæ non potuiſſent cenſeri idem voluiſſe, quia ſciviſſent, non debere ſe id velle, quod contra Dei legem eſſet.

§. 54. Scilicet fundamentum hujus doctrinæ eſt, quòd in aliis filius debet idem velle, quod pater; in aliis non debet. In illis cenſetur idem velle, antequam vivat: ipſum enim volendi debitum per fictionem juris pro voluntate eſt. In his non cenſetur idem velle, quia ſi viveret, ſciret, non debere ſe idem velle. Diſtinguunt ergo adverſarii inter peccandi, & inter aliam quamcunque voluntatem, à qua peccatum abeſt. Voluntatem contrahendi, emendi, vendendi, donandi, vel alio quocunque modo ſine nota peccati, bona alienandi, filio imputari non negant: negant autem etiam peccandi voluntatem imputari, ut ſi pater peccavit, etiam filius, qui nondum eſt natus, imò qui adhuc in lumbis patris ſui eſt, nec niſi poſt plures annos naſciturus, peccaſſe cenſeatur. Quin & ſi vel maximè non ſolùm natus ſit filius, ſed etiam ſcandali jam capax; iniquum tamen eſt, peccante patre, etiam filium peccare cenſeri, niſi conſtet ipſum peccanti patri conſenſiſſe, aut præcipienti paruiſſe, aut quocunque ſive tacito ſive expreſſo conſenſu peccati paterni participem eſſe. Hinc ſcribit Epiſcopius Inſtit. Theol. libr. IV. Sect. V. cap. 2. *Impoſſibile eſt, ut quis in alio peccet, niſi accedat vel imperium, vel conſilium, vel conſenſus ſive tacitus ſive expreſſus, vel ſaltem (ut quidam volunt) ſceleris vel peccati, quod ex lege ad judicem deferri debet, conſcientia.* Quo fit, ut etiam filius pro peccato patris puniri non poſſit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

§. 55. In hanc ſententiam, præter irrefragabiles æquitatis rationes, & Dei lex & antiquorum patrum dicta conſpirant. *Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus: ſed unusquisque pro peccato ſuo morietur:* ait ac præcipit DEus Deut. XXIV, 16. Ita, inquies, præcipit Deus hominibus, ita humana judicia vult eſſe comparata. Bene: ſed ab humano judicio ad Divinum valet conſequentia, ubi par eſt ratio. Ideò hominibus non licet, patres pro filiis, aut filios pro patribus occidere, quia alienum peccatum nemini debet imputari. Eadem ratio rectè aptatur divino judicio, eò magis, quantum ad ſupplicium æternum attinet. Nam temporalibus malis etiam ille, qui eſt innocens, occulto Dei judicio affligitur, intuitu peccati alieni: æternis autem nemo, niſi qui peccavit & impœnitens deceſſit, affligendus eſt. Quam legem ipſe Deus ſibi quaſi impoſuit apud Prophetam Ezechiel. XIIX, 20. *Filius non portabit iniquitatem patris, nec pater iniquitatem filii.* Nempe de ſuo judicio, deque æterno ſupplicio loquitur Deus, ſicut & contextus docet, & plerique interpretes exponunt. Contra Julianum ſcribens, ita ipſum compellat Auguſtinus L. VI. c 25. *Non intelligis, hanc eſſe promisſionem Teſtamenti novi, & ſpiritualis hæreditatis ad alterũ ſeculum pertinentis? Id enim agit gratia redemtoris, ut parentum chirographum deleat, & unusquisq; pro ſe rationem reddat*; Deo ſcilicet in judicio, ut addit Gregorius de Valentia, qui & ipſe Auguſtinum ſequitur: *Primò* (inquiens) *locus hic* (Ezechielis) *de filio intelligitur conſiderato, ut perſona plane diverſa à patre, ſicut priùs explicuimus. Deinde ex ipſis Prophetæ verbis eo loco patet, id teſtimonium debere ſolum intelligi de pœnâ ſpirituali mortis & damnationis.* Tom. II. Diſp. VI. Quæſt. XVII. Punct. 2.

§. 56.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

§. 56. Prævidit autem Auguſtinus, id ipſum Pelagianos in rem ſuam verſuros, quod dixiſſet, *nulli naturæ nocere peccata, niſi ſua.* Quamobrem peccatum ab Adamo commiſſum, reſpectu naturæ humanæ, non *alienum*, ſed *ſuum* eſſe peccatum tueri voluit. *Poſſunt ſanè Pelagiani,* inquit, *ad ſuum dogma trahere iſtam ſententiam, & ideo dicere, parvulis aliena non nocuiſſe peccata, quia dixi, nulli naturæ nocere peccata, niſi ſua, non intuentes ideò parvulos, qui utiq; pertinent ad humanam naturam, trahere originale peccatum, quia in primis hominibus, natura humana peccavit, ac per hoc naturæ humanæ nulla nocuere peccata, niſi ſua.* Retract. libr. I. cap. X. Sententia B. Patris hæc eſt: Adam non peccavit ut ſingularis homo, ſed ut ipſa humana natura: Erat enim jam tum humana natura: ſed nuſquam niſi in ipſo erat: peccante ergo ipſo, peccavit humana natura: quod autem eſt proprium peccatum humanæ naturæ, poſterorum quoque proprium eſt, quoniam humana natura nihil eſt præter omnes homines. Adeò prorſus idem docet Alexander ab Ales, ut ex Auguſtino exſcripſiſſe videatur. *Erat,* inquit, *in Adam non ſolùm voluntas hujus ſingularis perſonæ, ſed voluntas univerſalis naturæ: quo cadente à juſtitia originali, cecidit & quælibet voluntas ſuccedentium poſterorum. Caret enim voluntas cujuslibet illa rectitudine, quam habuiſſet, ſi Adam ſtetiſſet.* Item: *Non debetur ei* (ſc. parvulo) *pœna pro peccato, quod fecerat hæc perſona, in quantum hæc; ſed pro peccato, quod fecit, in quantum erat habens univerſalem naturam.* Item: *Si hæc anima* (ſcilicet quæ eſt hujus vel illius parvuli) *non erat in anima primi parentis, ſecundùm quod ipſe erat hæc perſona ſingularis; erat tamen ibi nihilominus ratione naturæ univerſalis quodammodo.* Hæc ille qu. CXXII. membr. I. ſub finem.

§. 57. Verùm huic interpretationi vix acquieſcunt arguti adverſarii. Dabunt, peccante Adamo, humanam naturam peccaſſe: quoniam nuſquam erat humana natura, niſi in ipſo: ſicut uno exiſtente ſole, nuſquam eſt natura ſolis, niſi in illo uno ſole. An autem & quomodo humana natura omnes homines complectatur, in quæſtione eſt. Philoſophi totum diſtinguunt in id, quod *actu*; & in aliud, quod *poteſtate* partes ſuas continet. Sed nec prius illud uniusmodi eſt: aliud continet partes ſuas *actu compoſitionis*, ſicut corpus humanum membra ſua, ex quibus conſtat: aliud *actu coexiſtentiæ*, citra compoſitionem, quomodo exercitus milites, civitas cives, & Eccleſia Chriſtianos actu continet. Humana natura quomodocunque ſumatur, non continet plures homines actu compoſitionis, quoniam non eſt ex ſingulis hominibus compoſita. Sed ſi quo modo actu continet, actu coexiſtentiæ continet, citra compoſitionem, & ſic collectivè accipitur, & ejusdem ſignificationis eſt, cujus ſunt *exercitus*, *civitas*, *Eccleſia*, & ſimilia nomina. Neque autem Auguſtini, neque Alexandri Alenſis hæc fuit ſententia, in Adamo naturam humanam peccaſſe, prout collectivè omnes homines complectitur; neque ſine repugnantia ita ſentire potuerunt, quoniam nondum erant omnes homines, imò nulli præter Adamum & Evam erant. Relinquitur ergò, ut exiſtimârint, in Adamo peccâſſe humanam naturam, prout *poteſtate* omnes homines complectitur. *Totum poteſtate* vocant Philoſphi quod poteſtate non qualicunque, ſed *poteſtate prædicationis* plura complectitur, h. e. quod de pluribus prædicari aptum eſt. Hujusmodi autem eſt quælibet res univerſalis, prout à ſingularibus

bus

bus ſuis diſtinguitur. Ita in Adamo cenſuerunt peccaſſe humanam naturam, prout eſt res univerſalis, quemadmodum Alexander Alenſis *naturam univerſalem* appellat, cùm non ſolùm Adamum velut hunc hominem, ſed ipſam *naturam humanam univerſalem* peccâſſe dictitat.

§. 58. Cœterùm ut quælibet res univerſalis, ita etiam humana natura, prout eſt res univerſalis, aliter atque aliter in propoſitione (Summuliſtæ hanc doctrinam *ſuppoſitionem* appellant) accipitur & ſupponitur: idq; pro diverſa prædicati naturâ ac conditione. Hinc trita interpretandi regula: *Talia ſunt ſubjecta, qualia permittuntur eſſe à prædicatis.* Primò quidem & immediatè res univerſalis ipſum conceptum communem ſignificat: remotè autem & mediante conſequentiâ explicatur etiam per ſingularia, quam explicationem Summuliſtæ *deſcenſum* vocant. Interdum non patitur prædicatum, ut ſubjectum univerſale aliter quàm pro *conceptu communi* accipiatur, quæ ſuppoſitio ſimplex dicitur. Aliquando illud flagitat, ut hoc, neglecto conceptu communi, per ſingularia exponatur, quæ ſuppoſitio perſonalis dici ſolet. Aliquando hujuſmodi eſt illud, ut hoc tum pro conceptu communi accipiatur, tum etiam rectè per ſingularia explicetur: quam nonnulli ſuppoſitionem *abſolutam* vocant, alii ſub perſonali comprehendunt.

§. 59. Jam quando præfati Autores ſic loquuntur, *in Adamo naturam humanam peccaſſe*, non patitur verbum *peccaſſe*, ut *humana natura* pro conceptu communi accipiatur, quoniam ut quælibet alia actio, ſic etiam actio peccandi per eſſentiam agens ſuum, ut rem ſingularem, afficit: cui ita eſt affixa, ut per nullam, ne quidem per Dei

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

potentiam ſit ſeparabilis. Conſequens itaque eſt, in Adamo peccâſſe humanam naturam ſuppoſitione perſonali, id eſt, prout neglecto conceptu communi, per ſingularia explicatur. Non, inquam, peccavit, humana natura, ſecundùm conceptum communem, cujus vi ſingularia complectitur, ſed ſecundùm ipſa ſingularia.

§. 60. Objicies, non fuiſſe plura ſingularia, quàm duo, Adamum & Evam: non Evam in Adamo, ſed in ſe ipſa peccâſſe, neque verò in Adamo peccaviſſe filios, nepotes ac poſteros, quia peccare exiſtentium eſt, ſed illi nondum exiſtebant: Ergo in Adamo non peccâſſe humanam naturam, prout per ſingularia explicatur. Expedita eſt reſponſio, ex diverſo ſuppoſitionis perſonalis modo ac deſcenſu. Nempe omnis res univerſalis pluribus, ſed quantum ad præſens attinet, duobus modis per ſingularia explicatur; vel *diſtributivè*, vel *disjunctivè*. Diſcrimen noſcitur iisdem ſignis, quibus quantitas propoſitionum denotatur. Signum univerſale explicationem diſtributivam, ſignum particulare explicationem disjunctivam flagitat. Quod dicit Paulus, *in Adamo omnes homines peccaſſe*; Sic exponitur: In Adamo & hic homo peccavit, & ille homo peccavit, & iſte homo peccavit, tranſeundo ita copulativè per ſingula individua, quæ eſt diſtributiva expoſitio. Quod ſi autem diceres, *aliquem Apoſtolum prodidiſſe Chriſtum*; ſic exponeremus: Aut Petrus prodidit Chriſtum, aut Matthæus prodidit, aut Jacobus prodidit, tranſeundo ſic per omnes Apoſtolos, donec perveniamus ad Judam, de quo uno verè prædicatum enunciatur: Neque ut vera ſit propoſitio particularis, plus requiritur. Quando ergo in Adamo peccâſſe dicitur humana natura; & ea,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

ea, neglecto conceptu communi, per ſingularia explicatur, addendum eſt ſignum vel univerſale, ita ut omnis humana natura; vel particulare, ita ut quædam natura humana in Adamo peccaſſe dicatur: vi illius ſigni *diſtributivè*; vi hujus, *disjunctivè* explicatur. Quæritur ergo, quo ſenſu dicat Auguſtinus, in Adamo humanam naturam peccâſſe. Si ſenſu diſtributivo; hoc ipſum eſt in quæſtione, & eſt probandum: ſin ſenſu disjunctivo; ad principalem quæſtionem res nihil facit.

§. 61. Regeres pro Auguſtino, eſſe ineptam quæſtionem, cum una tantùm ſit humana natura. Ita eſt: una eſt humana natura, conceptu immediato & communi, de quo hic non eſt quæſtio, quoniam ſuprà demonſtratum eſt, & jam quaſi confeſſum ſupponitur, humanam naturam eo conceptu in Adamo non peccaſſe. Conceptu autem mediato & particulari non eſſe unam ſed totuplicem, quot ſunt ſingularia, res ipſa etiam docet. Siquidem alia Adami, alia Caini, alia Abelis natura humana erat. Rectè ergo quæritur, utrum omnis, an quædam, ſive an cujusdam tantùm hominis natura in Adamo peccaverit. Quanquam modo ſignificandi differunt *homo* & *humana natura*. Illud concretum, hoc abſtractum eſt: illâ auditâ voce, concipitur ſuppoſitum vel res habens humanam naturam; hoc verò prolato vocabulo, concipitur ſola humana natura, ſine mentione ſuppoſiti vel rei eam habentis. Subjectum autem & prædicatum in rebus creatis debent eundem ſignificandi modum habere. Cum igitur Adam quoque, ſive *hic homo*, qui eſt Adam, concretum ſit, potiùs eſſe *homo*, quàm eſſe *humana natura* dicendus eſt. Præterea humana natura ut plurimùm ſumitur relativè, prout eſt homi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

hominis natura, & ſic idem eſt quod hominis eſſentia: ſed ſic etiam non rectè de Adamo prædicatur. Demus autem memoratis auctoribus, Adamum fuiſſe ipſam humanam naturam, quia jam tum erat humana natura, & nusquam niſi in ipſo erat; eodem certè modo in Eva non erat. Jam ſi in Adamo omnis homo, aut cujusque hominis humana natura peccaſſet, rectè ad ſingulos poſteros duceretur conſequentia. Nunc verò vi ſyllogiſmi expoſitorii, non omnis homò, ſed quidam homo; neque omnis humana natura, ſed quædam vel cujusdam hominis natura peccavit. Nempe ex eo, quòd Adam peccavit, & Adam eſt homo vel humana natura, concluſio particularis infertur in tertia figura: *Ergo quidem homo vel quædam aut cujusdam hominis natura peccavit:* inde autem ad ſingulos poſteros non valet conſequentia.

§. 61. Alius, inquies, modus eſt, quo Adam omnes homines, adeòq; totam humanam naturam complectebatur. Modus ille verbo *repræſentandi* indigitatur. Fit ſcilicet, ut princeps populum, Epiſcopus ſuam Eccleſiam, parens ſuam familiam, & ut verbo dicam, caput membra repræſentare dicatur. Adam verò erat parens, princeps & caput generis humani. Repræſentabat ergo totam humanam naturam: ſive quod eodem recidit, erat tota humana natura, ſaltem repræſentativè. Sit ita: quanquam id quod præſentativè eſt totum, reverà non eſt totum, ſed per latam fictionem ita dicitur: ſit tamen ita, imputeturq; toti populo, quod princeps; toti familiæ, quod parens agit: Cauſſa hujus rei non erit alia, quàm de quâ jam diſceptatur, an ad imputationem peccati ſufficiat, ſcilicet quæ inter principem & populum, inter patrem & filium intercedit

cedit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

cedit conjunctio. Nam eò Princeps repræſentat populum, quòd hic ſuam voluntatem in illius voluntatem conjecit, & ſic per conſenſum ei ſaltem moraliter ſe conjunxit: parens etiam repræſentat filios, quòd hi ex ipſo nati ſunt, aut naſcituri. Nihil ergo refert, utrum conjunctio, quæ eſt inter principem & populum, inter parentem & liberos; an verò quòd Princeps populum, parens liberos repræſentat, cauſa imputationis eſſe dicatur. Non negabit adverſarius, ex ea conjunctione ſequi imputationem earum actionum, quæ non ſunt contra legem Dei, & quas totius intereſt fieri. Negabit idem de actionibus aliis, quæ vel ſunt contra legem Dei, vel ad univerſitatem nihil pertinent, imò quas univerſitatis intererat non fieri. Hinc cum Rex Davîd præſumtuoſâ fiduciâ roboris numerati populi peccâſſet, nolebat peccatum ſuum imputari populo. *Ego ſum*, inquit ad Deum, *qui peccavi, & ego iniquè feci: iſti qui oves ſunt, quid fecerunt*? II. Sam. cap. XXIV, 17. Quomodo ergo peccatum Adami imputari potuit poſteris, quod contra expreſſam Dei legem erat, & eatenus intererat poſterorum non fieri, quatenus & ipſos juſtitiâ originali ſpoliavit?

§. 63. David, inquies, noluit imputari populo ſuum delictum: imputavit tamen Deus; propterea enim peſtilentiâ populum percuſſit. Nego conſequentiam. Alia eſt *cauſſa* alicujus rei, alia eſt ejus *occaſio*. Cauſa immiſſæ peſtilentiæ non erat imputatum peccatum Davidis, ſed mera occaſio. Absque enim Davidis peccato ſi fuiſſet, habuit Deus plures cauſſas immittendæ peſtilentiæ. Primùm quidem, etſi prædicante Davide innocentes erant Iſraelitæ & integri à peccato, quo Rex ſe obſtrinxerat; aliis

tamen pluribus ſceleribus commeruerunt, ut peſtilentiâ punirentur. Deinde etiam ſepoſito omni ad propria ipſorum ſcelera reſpectu, Deus tamen jure Dominii, ipſos potuit affligere, quo innocentiſſimos ſæpe, ſed ipſorum bono affligit, & caſtigat. Occaſionem autem immiſſæ peſtilentiæ peccatum Davidis fuiſſe ex contextu liquet. Deus enim aliâs populum caſtigaturus tùm potius fecit, cum David peccâſſet, ut etiam hic ad agnitionem ſui peccati, ut & ad dolorem & pœnitentiam magis ac magis adduceretur. Ita concedet adverſarius, intuitu & occaſione peccati Adamitici poſteros etiam deſtitui juſtitiâ originali, & variè affligi; ſed negabit, peccatum illud his ad culpam imputari, & propterea ipſum etiam juſtitiæ originalis defectum in his culpam ac propriè dictum peccatum eſſe, ob quod rei æternæ damnationis habeantur.

§. 64. Patet itaque hactenus, ſi contra pervicacem adverſarium ſit pugnandum, non adſenſurum ipſum nobis eſſe, ſi ideò peccatum Adami dicamus imputatum eſſe, & adhuc imputari poſteris, ad culpam pœnamq; æternam, quòd inter hos & illos arctiſſima fuerit conjunctio, quam quidem non niſi naturalem *virtualem* fuiſſe conſtat, cum adhuc hi in illius lumbis continerentur. Id quod occaſionem præbuit perfido ac ſacrilego præ-Adamitarum auctori, ut *myſticam* inter Adamum & poſteros conjunctionem fingeret, hancq; cauſam imputati peccati Adamitici eſſe ſtatueret. Non autem tam deſcribit, quæ ſit myſtica conjunctio, quàm per diverſas ſpecies explicat: quandoquidem tres ejus ſpecies facit. Unam, conjunctionem Adami cum poſteris; alteram Abrahami cum fidelibus; tertiam Chriſti cum Eccleſiâ, & cum ſingulis fidelibus.

Verba

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

Verba ejus libr. V. Syſtem. Theol. cap. II. ita habent: *Sunt & corpora myſtica, quæ propter communionem & ſimilitudinem myſticam, ſuas ſibi imputationes alliciunt. Tale illud eſt corpus myſticum, quo homines omnes propter ſuam cum Chriſto ſimilitudinem, quodam veluti ferrumine myſtico cum illo conjunguntur. Non enim angelum ſed hominem Deus induit; ut per omnia ſimilis fieret hominibus, absq; peccato. Ut compati poſſet hominibus; & pro illis piacularis foret; ratione illa communionis & ſocietatis myſticæ; qua mors ejus omnibus hominibus imputari valuit. Talis & illa eſt communio & ſocietas myſtica, propter quam fides Abrahami imputata fuit fidelibus omnibus. Et filii Abrahami dicti ſunt fideles omnes; non filii naturæ; ſed filii adoptionis & ſimilitudinis myſticæ, quæ naturam imitata eſt. Secundum eandem omnino communionem & ſocietatem myſticam, imputatum, fuit peccatum Adami omnibus hominibus.*

§. 65. Pòſt illam myſticam conjunctionem interpretatur per analogiam cum conjunctione naturali & morali, tanquam ab utraque aliquid mutuetur. Græcis vocibus illam *phyſicam*, hanc *politicam* conjunctionem appellat. *Imputationes myſticæ*, inquit, *imputationum phyſicarum & politicarum ſpecies omnes participant. Communis eſt myſticis & phyſicis imputationibus, naturalis corporum conjunctio, quæ propagationis traduce generatur in phyſicis imputationibus: creationis autem & formationis ſimilitudine, in myſtica imputatione concipitur. Ratione illa communionis & conjunctionis myſticæ, Adamus & Abrahamus patres noſtri dicti ſunt; & generari dicimur in Chriſto; communes enim quadam maſſæ fuerunt hominum omnium, homines illi tres, qui totam ſpeciem ſuppoſuerunt. At, quo argumento Adamus, Abrahamus & Chri-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

ſtus, fuere omnes homines; homines itidem omnes fuere unus homo in eisdem, Adamo, Abrahamo & Chriſto. Unitate ſcilicet ſimilitudinis, & participatione ejusdem naturæ. Sicut apud Philoſophos, homines omnes participatione ejusdem ſpeciei, unus homo reputantur. Quin & apud Theologos ipſos tota hominum ſpecies depoſita creditur in tribus illis, Adamo, Abrahamo & Chriſto. In Adamo, quoad peccatum. In Abrahamo, quoad fidem. In Chriſto, quoad redemtionem. Commune habent imputationes myſticæ cum imputationibus politicis, quod Adamus, Abrahamus & Chriſtus, Principes fuere, ſyndici, ſponſores & vades, totius generis humani. Ut quicquid tres illi gererent; Adamus, in negotio legis; Abrahamus in negotio fidei; Chriſtus in negotio redemtionis; id nomine omnium hominum ratum habendum foret.

§. 66. Verùm enim verò, uti *myſticam Conjunctionem Chriſti cum fidelibus* libentes concedimus, ita alias duas ſpecies, utpote quibus nihil cum illa eſt commune, planè negamus. Quanquam nec priorem illam Auctor rectè exponit. Videtur enim in nudâ quadam imputatione ponere, puta quòd mors, ac meritum Chriſti, fidelibus, ad expiationem peccati ac redemtionem imputetur: at conſequens hoc quoddam eſt: à priori eſt realis & arctior conjunctio, quâ Chriſtus præſens eſt fidelibus, & in ipſis operatur. Cauſa efficiens, vinculum, & finis ipſam à conjunctione naturali & morali ſatis diſtinguunt. Non ejus cauſa eſt natura vel voluntas humana, ſed ipſe Spiritus S. Nec vinculum naturale vel morale quid eſt, ſed fides, quam operatur quoque ipſe Spiritus S. Neque finis eſt quæcunque perſonarum conjunctarum utilitas, ſed hominum ſalus. Ita inter Chriſtum & fideles eſſe myſticam

conjun-

conjunctionem, ex variis textibus liquet, ut ex Eph. III,17. Gal. III,27. Joh. VI,56. Cui conſequens demum eſt, ut meritum Chriſti fidelibus imputetur, ad remiſſionem peccatorum, & potiundam ſalutem æternam, quoniam fides imputationis cauſſa inſtrumentalis eſt.

§. 67. Neque hoc neque ſimili aliquo modo Abrahamum fidelibus eſſe vel fuiſſe conjunctum, res ipſa docet. Quod dicit auctor, fidem Abrahami eſſe imputatam aliis, falſum eſt. Propria cuique imputatur fides, non aliena. *Juſtus enim ex fide SUA vivit*, ait Dominus Habac. II, 4. quod paſſim citat Apoſtolus. Ita *Abrahamo ſuam fidem imputatam fuiſſe ad juſtitiam*, plus ſimplici vice docet idem Apoſtolus Rom. IV, 3, 9, 22. Imputatam verò fuiſſe aliis, nusquam meminit. Vocat quidem *patrem credentium*, ſed propterea quòd ipſe illuſtre fidei exemplum dedit aliis, quando Dei promiſſionibus *contra ſpem ſub ſpe credidit*, ut alii *veſtigiis fidei patris Abrahami incedant*, ibid. v. 12, 18. Quamobrem quòd ipſi ſua fides ſit imputata ad juſtitiam, hoc dicit Apoſtolus non solùm ſcriptum eſſe propter ipſum, ſed & propter alios; ſcilicet ut alii quoque credant, & ſua ipſis fides ad juſtitiam imputetur, v. 22, 23, 24.

§. 68. Contra omnem autem myſticæ conjunctionis rationem ac proprietatem eſt, ut talis aliqua inter Adamum & poſteros, quantum ad peccatum attinet, fuiſſe ſtatuatur. Quid enim? an myſticè Spiritus S. conjungit homines, ut unius peccatum aliis imputetur? Annon mavult ſic non eſſe conjunctos, is qui omnem iniquitatem odit, & abominatur? Tantum etiam abeſt, ut ſi hujusmodi conjunctio daretur, ea ad hominum ſalutem

 ſpecta-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

ſpectaret, ut potiùs hanc interverteret. Quid enim ex univerſali peccati Adamitici imputatione ſequitur, quàm ut omnes homines rei æternæ damnationis habeantur? *Imputata fuit*, inquit auctor, *omnibus hominibus Adami noxa, ut imputaretur eisdem noxæ illius expiatio, quæ fuit in morte Chriſti.* At quàm iniquè de Dei proceſſibus judicat? An Deum putat facere mala, ut inde bona eveniant? Malum profectò eſt, Adami noxam imputare iis, quorum non eſt, & quibus neque ob naturalem, neque ob moralem conjunctionem imputari poteſt. Si ergo Spiritus S. conjunctionem myſticam operatur, cujus vi fiat illa imputatio, quid aliud quàm quod malum eſt facit? Et ſi huic fini facit, ut expiatio noxæ, quæ eſt in morte Chriſti, imputetur; in quem alium finemmalum facit, quàm ut bonum quid eveniat? Abſit autemut, Deum ſic agere arbitremur.

§. 69. Quantum ad prætextam analogiam attinet, non negamus, ubi datur vera myſtica conjunctio, ibi hanc analogicè aſſimilari conjunctioni naturali vel morali. Ita Deus eò quod myſticè conjunctus eſt fidelibus, *fidelium pater* dicitur, tanquam qui eos gignit, & hi ſunt ejus filii. Item Chriſtus eò quod conjunctus eſt Eccleſiæ, hujus caput, Princeps ac Dominus eſt; eò etiam quòd nos redemit, noſter eſt mediator, ſacerdos, ſponſor, ſequeſter. In his enim datur vera myſtica conjunctio. Fit autem in aliis, ut conjunctio ipſa naturalis vel moralis myſticè & per analogiam exponatur, & ad aliud quid applicetur, citra myſticam conjunctionem. Ita quæ inter Abrahamum & poſteros eſt conjunctio naturalis, myſticâ interpretatione ad fidem applicatur, ut ſicut Abrahamus ſecundùm carnem eſt *pater Judæorum*, ita ſecundùm Spiritum & fi-

dem

dem *paeer credentium* habeatur, citra myſticam conjunctionem, ſaltem quòd omnibus illuſtre fidei exemplum dederit. Verùm quæ inter Adamum & poſteros eſt naturalis conjunctio, ne myſtica quidem interpretatione indiget, quantum ad peccatum attinet. Nam Adamus eò quod naturam ſive carnem in poſteros propagavit, etiam propagati in ipſos peccati auctor extitit, citra myſticam & conjunctionem & interpretationem: quem in modum, Abraham fidem neutiquam propagavit. Ergo, inquies, naturalis conjunctio Adami cum poſteris ſufficit, ut peccatum illius his imputetur? Nego conſequentiam. Sufficit naturalis conjunctio, ut peccatum propagetur; non verò, ut peccatum Adami poſteris imputetur. Quæ duo ſunt oppidò diverſa, nec prius hîc in quæſtione eſt, ſed poſterius.

§. 70. Tandem ſæpe vituperatus auctor myſticam ſuam conjunctionem reducit in quoddam Dei fœdus, cùm ait: *Obligaverat Deus homines omnes ſtipulatione fœderis illius, quod cum Adamo iniverat, tanquam ſponſore, procuratore, & defenſore hominum omnium: ut, quod ille peccaret, id nomine omnium peccaret. Mandatum verò habuerat Adamus à Deô, non ab hominibus: quo fretus tantum ſibi ſumeret, ut neſciis etiam hominibus, res hominum gereret. Rupit Adamus fœdus Dei. Et ratione pœnæ imputativæ, quam Deus ex fœdifragio illô hominibus omnibus conſtituerat, rupiſſe fœdus idem illud homines omnes in Adamô putati ſunt. Fuit Adamus, & in illô fuêre omnes homines. Peccavit Adamus, & in illô peccavêre omnes. Fuit Adamus communis hominum maſſa. Peccaverunt homines in maſſæ illius unione, communiter, ut Sbola loquitur. Et quâ imputationis myſticæ formâ Chriſtus fuit juſtitia noſtra, eadem omnino imputationis ratione Adamus fuit peccatum noſtrum.*

§. 71

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

§. 71. Verùm præterquàm quòd nūſquam dicit Scriptura, Deum fœdus quoddam iniiſſe cum Adamo, quod etiam ad poſteros pertineret: inſuper ſi fœdus initum ponatur; quale fuerit, cogitandum eſt. Fœdus aliâs ex parte Dei eſt *illa Dei voluntas, qua ſtipulatur ab hominibus comminationem promiſſione.* Et hæc primaria ac præcipua ejus ratio eſt. Secundariò autem annexam habet comminationem pœnæ, ſi ſtipulata obedientia non præſtetur. Includit igitur legem vel mandatum Dei, ſed plus quàm lex & mandatum eſt. Deus legem ſive mandatum dedit Adamo, *ne de ligno ſcientiæ boni & mali comederet.* Non autem ſtipulatus ab ipſo eſt obedientiam ſub promiſſione; tantùm comminationem addidit, quòd niſi obediret, mortè moriendum ipſi eſſet: ut ita non plus quàm lex & mandatum Dei fuiſſe videatur. Non autem redarguendi ſunt, qui putant, tacitè ſubintelligendam eſſe promiſſionem, quæ ſtipulationi obedientiæ reſpondeat, ut ita plus quàm lex, etiam fœdus quoddam Dei habeatur. Quanquam qualis ſubintelligenda ſit promiſſio, fortè non æquè expeditum eſt. Pluribus placet, Deum promiſſum Adamo voluiſſe ſtatûs illius felicis, in quo erat conditus, & perennitatem & incrementum, denique ipſam vitam æternam. Sit ita: promiſſam etiam voluit conſtantiam imaginis divinæ, juſtitiæque originalis, quia hæc præcipua pars, & quaſi anima erat felicitatis primævæ. Verùm an, & quare ac quousque hoc fœdus ad poſteros quoque pertinuerit, *κρινόμενον* eſt. Aliter de primaria parte fœderis, quam in ſtipulantis Dei *promiſſione*, aliter de ſecundaria, quam in *comminatione* poſitam eſſe dixi, diſſerendum ac judicandum eſt. Ad promiſſionem ſua

Deum

Deum impulit gratia ac bonitas, qua in Adamo omnes homines eſt complexus. Quod igitur Adamo promiſit, idem promiſit poſteris: videlicet ut ille, ſi ſit legi ſuæ uni poſitivæ obediens, non modò maneat in felici ſtatu imaginis divinæ, & juſtitiæ concreatæ, verùm etiam ad poſteros propaget. Itaque cauſſa dilatatæ ad poſteros promiſſionis eſt liberrima Dei voluntas, ſub ſtipulatione obedientiæ Adami. Quanquam etiam naturæ conſentaneum eſt, ut qualis conditus erat Adam, tales generaſſet filios, quantum ad eas quidem perfectiones attinet, quas primus conditor naturæ inſeverat, & ejus partes fecerat. Neque ſi Adam fuiſſet obediens; obſtitiſſet ac repugnaſſet æquitas, quò minùs ejus obedientia imputata fuiſſet poſteris: putandi enim hi ſunt, ſi vixiſſent, idem voluiſſe, quod Adam, quia ſciviſſent, ſe Adamo ut Patri, ut Principi ac Domino ſuo, non oportere refragari, in eo, quod non tantùm non eſſet contra legem Dei, ſed etiam Dei lege juſſum, mandatum, ac ſeverè ſancitum eſſet. Hactenus ergo voluntas Adami, ſi ipſe fuiſſet Deo obediens, interpretativè non fortè malè voluntas poſterorum habita fuiſſet. Alia autem eſt ratio de *peccandi voluntate*, ſive de peccato voluntario, ut & de pœna. Peccavit Adamus: non ſtatim etiam cenſentur poſteri peccâſſe. Nulla enim conjunctio neque naturalis neque moralis fundat imputationem, niſi in iis, quæ non ſunt contra legem Dei. Repugnat enim Dei juſtitiæ, peccatum & inobedientiam alterius imputari ei vel eis, qui nullo modo conſenſerunt. Ergo dum Deus legi ſuæ adjecit comminationem pœnæ, non latius patere hanc voluit, quâm patet inobedientia. Non, inquam, Deus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

voluit, ut peccante Adamo, totum genus humanum e-
jusdem peccati reum teneretur, ſine reſpectu ad propri-
am cujusq: culpam. Alioquin enim voluiſſet Deus, quod
juſtitiæ ſuæ repugnat. Dixit Adamo: *Si fueris inobediens, morte morieris.* Voluit etiam eandem eſſe poſterorum
pœnam, ſed ſub eadem conditione; ſi ſcilicet inobedien-
tes forent. Imò voluit etiam, Adami inobedientiam im-
putari poſteris; non autem ex liberâ ſua voluntate, ſed ex
propriâ ipſorum culpa, quæ quænam ſit, jam inveſtiga-
mus. Videt itaque, ſæpe caſtigatus Præadamitarum au-
ctor, non magis ob myſticam conjunctionem, quàm ob
naturalem vel moralem, peccatum Adami imputari poſte-
ris: ne quidem ſi myſtica conjunctio in quoddam Dei
pactum cum Adamo initum reducatur: quia neque ta-
lis aliqua eſt myſtica conjunctio inter Adamum & poſte-
ros, quantum ad peccatum attinet, & pacti tenor mo-
dò explicatus juſtitiæ Dei repugnat.

§. 72. Noſtri, inquies, Theologi propagationem
peccati originis quoque *à pacto Dei primævo* cum Adamo
inito deducunt. Sit ita: id verò nobis non obſtat. Non
enim hîc quæritur, an *vi fœderis divini propagetur pecca-
tum originis*; Sed *an vi ejus peccatum actuale Adami poſte-
ris imputetur.* Priori aſſerto & probato, non etiam poſte-
rius habendum eſt conceſſum. Noſtri Theologi pactum
Dei, hunc ferè in modum concipiunt, quaſi Deus dixiſſet
Adamo: *Si obediveris uni legi meæ poſitivæ, manebis non ipſe
modò in felici ſtatu, in quo es conditus, ſed & juſtitiam ori-
ginalem ad poſteros propagabis. Sin minùs; non ipſe modò amit-
tes juſtitiam originalem, & excides ſtatu primævæ felicitatis,
ſed & poſteri tui naſcentur ſine juſtitiâ, & eâdem miſeriâ in-
volven-*

volventur. An & quomodo vi hujus fœderis peccatum Actuale Adami poſteris ad culpam imputetur, non equidem video. Vi autem illius defectum juſtitiæ originalis ad poſteros propagari, nemo temerè negaverit. Similia fœdera toto die ineuntur. v. g. Stipulatur Rex â quodam Nobili vel Comite fidelitatem & obedientiam, ſub collatione ſingularis honoris, vel dignitatis, vel dominatûs, vel potentiæ, ad poſteros propagandæ. Deflectit autem ille à ſtipulata fide & obedientia, & excidit dono regio. Quò fit, ut etiam poſteri eo dono ex tenore pacti careant. Nihil cauſæ videtur dici poſſe, quin etiam ex inobedientia Adami poſteri juſtitiâ originali, vi fœderis inſinuati divini, deſtituantur. Vide Anshelmum opuſculo de conceptu virginali cap. X, XXII, XXIII, XXVII.

§. 73. Excipiet adverſarius, eſſe diſparem rationem. Quando Vaſallus Regis ſibi & poſteris inobedientiâ ſuâ donum regium amittit, non doni jactura eſt peccatum, ſed reſpectu Vaſalli patris pœna, reſpectu filiorum & poſterorum damnum eſt. At carentia juſtitiæ originalis ab Adamo ad poſteros propagata, etiam reſpectu poſterorum peccatum ac culpa eſt, reddens ipſos pœnæ æternæ obnoxios. Non autem eſſet peccatum cum reatu culpæ ac pœnæ, niſi peccatum Adami actuale etiam poſteris imputaretur. Concedo, rem ita eſſe: ſed alia eſt cauſa, quâ defectus juſtitiæ originalis ad poſteros propagatur; alia quâ ad culpam pœnamq; imputatur. Sit cauſa propagati defectûs fœdus Dei: quanquam, ut hoc obiter moneam, etiam naturæ conſentaneum eſt, ut *quod generans non habet, genito impertire non poſſit*: cauſa certè, cur dictus juſtitiæ defectus ad culpam pœnamque imputetur, idem Dei fœdus eſſe nequit. Referenda potiùs eſt cau-

ſa in peccatum actuale; ſed in quodnam, niſi in Adami peccatum? Igitur redit quæſtio, an & quo jure peccatum Adami imputetur poſteris? Hoc ſi fuerit demonſtratum, in promtu jam etiam eſt cauſa, quare propagatus juſtitiæ originalis defectus poſteris ad culpam pœnamq; imputetur.

§. 74, Res ut ſit clarior, notandum eſt, unam eſſe cauſam, idem jus, unamq; rationem, quamobrem peccatum Adami imputetur poſteris, & quamobrem propagatus ad ipſos juſtitiæ originalis defectus propriè & formaliter peccatum habeatur. Unde dum unum quæritur, alterum quæri, & dum unum expeditur, alterum etiam expediri putandum eſt. Duo autem in peccato propriè & formaliter ita dicto requiruntur: primùm ut *ἀνομία* ſit; deinde ut ſit *voluntaria ἀνομία*. In propagato ad poſteros juſtitiæ originalis defectu utrumque dari, probandum ſibi ſumit Anshelmus l. c. Quanquam quòd *ἀνομία* ſit, res probatione non eget. Non enim juſtitia originalis erat qualecunque Dei donum; non certè erat ex bonis fortunæ, qualia ſunt, quæ homo dat homini, ut honor, ut potentia, ut dominatus, ut feudum: Sed erat donum implendæ legi Dei & evitandis peccatis neceſſarium, quod vi fœderis divini ſervandum, & ad poſteros transmittendum erat. Hujusmodi autem *doni defectus* quid eſt niſi *manifeſta ἀνομία*? An autem & quousque *ἀνομία voluntaria* ſit, res præſentis eſt difficultatis. Propriâ poſterorum voluntate non eſſe voluntariam, concedit Anshelmus: putat autem ſufficere, voluntariam eſſe *voluntate primi parentis*. Sed quomodo, niſi voluntate primi parentis poſteris imputatâ? Redit autem hîc rurſus

ea,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

ea, in quâ enodanda verſamur, difficillima quæſtio: an & quare ac quousq; voluntas peccandi, quæ fuit in Adamo, poſteris nondum exiſtentibus imputata fuerit? Si quis hic iterum vel *conjunctionem*, quæ fuit inter Adamum & poſteros, vel *Dei fœdus*, vel *utrumq;* obtendat: falli illum, & petere id quod eſt in principio, jam demonſtravimus.

§. 75. Anshelmum eatenus Scholaſtici ſequuntur, quatenus æquè ſtatuunt, propagatum ad poſteros juſtitiæ originalis defectum eſſe voluntarium *voluntate primi parentis*. Non autem ſatisfaciunt argutis adverſariis, niſi firmiſſimis rationibus demonſtrent, voluntatem primi parentis, quatenus peccavit & inobediens Deo eſt factus, rectè poſteris imputari & imputatã fuiſſe, antequam exiſterent. Sed quas putemus daturos eſſe hujus rei rationes, ſi interrogentur, niſi quas modò vidimus? Aut ſcilicet *conjunctionem*, quæ fuit inter Adamum & poſteros, aut *pactum Dei*, aut *utrumq;* cauſabuntur. Quorum nihil pro ſufficiente imputationis cauſa admittent adverſarii.

§. 76. Thomas Aquinas, Scholaſticorum Princeps, diſtinguit inter *peccatum perſonæ*, & *peccatum naturæ*, In parte I. II. qu. XXCI. art. I. Ad *peccatum perſonæ* concedit id requiri, ut propriâ perſonæ peccantis voluntate ſit voluntarium: ad *peccatum verò naturæ*, cujusmodi in poſteris ſit connatus juſtitiæ defectus, contendit ſufficere, voluntarium eſſe voluntate aliena, voluntate ſcilicet primi parentis. Non probat rem, ſed ita dicit: ut autem probare videatur, illuſtrat exemplo, quanquam valde disſimili. *Multi*, inquit, *homines ex Adam derivati, ſunt tanquam multa membra unius corporis: actus autem unius membri cor-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

poralis, puta manus, non eſt voluntarius voluntate ipſius manus, ſed voluntate animæ, quæ primo movet membrum. Unde homicidium, quod manus committit, non imputaretur manui ad peccatum, ſi conſideraretur manus ſecundum ſe, ut diviſa à corpore, ſed imputatur ei, in quantum eſt aliquid hominis, quod movetur à primo principio motivo hominis. Sic igitur inordinatio, quæ eſt in iſto homine ex Adam generato, non eſt voluntaria voluntate ipſius, ſed voluntate primi parentis, qui movit motione generationis omnes, qui ex ejus origine derivantur, ſicut voluntas animæ movet omnia membra ad actum. Unde peccatum, quod ſic à primo parente in poſteros derivatur, dicitur originale, ſicut peccatum, quod ab anima derivatur ad membra corporis, dicitur actuale: & ſicut peccatum actuale, quod per membrum aliquod committitur, non eſt peccatum illius membri, niſi in quantum illud membrum eſt aliquid ipſius hominis, propter quod vocatur peccatum humanum: ita peccatum originale non eſt peccatum hujus perſonæ, niſi in quantum hæc perſona recipit naturam à primo parente, unde & vocatur peccatum naturæ, ſecundum illud Epheſ. Eramus naturâ filii iræ.

§. 77. Verùm neque peccati diſtinctio, in id quod *perſonæ*, & quod *naturæ* eſt; neque *ſimile*, quo peccatum naturæ illuſtratur, rem conficit. Diſtinctio videtur eſſe deſumta à cauſa efficiente, puta quòd alterius peccati cauſa ſit *perſona*, alterius *natura*. Eò autem maximè, quantum ad præſens attinet, diſtinguuntur *perſona* & *natura*, quòd illa agit voluntariè, hæc non item. Quò fit, ut peccatum perſonæ voluntarium ſit, non item peccatum naturæ. Hactenus rectè Thomas: verùm ſi peccatum naturæ eſt propriè dictum peccatum, puta quod ha-

benti

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

benti ad culpam imputetur, quale peccatum originis eſſe ſupponitur: neceſſum eſt, ut & ipſum in peccatum *perſonæ* reducatur, cujus culpâ ſit ortum: quod manifeſtum eſt ipſo Adami exemplo. Habuit is quoque poſt lapſum peccatum, quod in poſteris *peccatum naturæ* nuncupatur, id eſt, carentiam & defectum juſtitiæ originalis. Si quæras, quare ipſi ad culpam ille defectus fuerit imputatus, parata eſt reſponſio, quia peccato actuali eum promeruit & incurrit: peccatum autem *actuale* Adami erat peccatum *perſonæ*. Jam quando idem defectus ad poſteros, unà cum natura, & per naturam propagatur, quæritur ſimiliter, quare ipſis ad culpam imputetur? reſpondebit Thomas, *ob peccatum aliquod actuale*, quod eſt peccatum *perſonæ*. Sed cujus perſonæ, quæritur: an ob peccatum actuale perſonæ cujusque poſterorum? an verò ob peccatum unius perſonæ Adami? Hìc reſpondet Thomas, non requiri in poſteris peccatum actuale *proprium*, ut defectus juſtitiæ originalis ipſis ad culpam imputetur, ſed ſufficere peccatum *alienum*, ſcilicet ſui parentis; eò quòd defectus juſtitiæ originalis ſit *naturæ* peccatum, non *perſonæ*.

§. 78. Verùm enim verò omne peccatum, omnisque defectus, qui peccatum eſt, in quocunque inſit, imputatur ei, penes quem eſt culpa, quòd inſit. Jam quòd poſteri Adami careant juſtitiâ originali, aut culpa eſt ſolùm penes *Adamum*, aut etiam *penes poſteros*: ſi ſolùm penes Adamum; Solùm Adamo ille defectus, non etiam poſteris imputatur: ſin etiam penes poſteros; aut eſt peccatum actuale poſterorum *proprium*, aut eſt Adami, & ſic *alienum* peccatum. De communi ſententia non eſt peccatum

poſte-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

poſterorum proprium, quia cum illi peccante Adamo nondum exſtiterint, peccato actuali ſe obſtringere non potuerunt. Reſtat ergò, ut culpa in Adami, & ſic in alienum peccatum reducatur, quæ eſt Thomæ ſententia. Sed hîc rurſus difficultas omnis recidit ad propoſitam difficillimam quæſtionem, an & quomodo peccatum actuale unius perſonæ Adami imputetur poſteris ad culpam, ita quidem, ut illi omnes propterea juſtitiâ originali careant, & eatenus propriè dicti peccati reatu teneantur, cum tamen ad peccatum actuale Adami neque per influxum concurrerint, neque vel directâ vel indirectâ voluntate, imò ne quidem per accidens quicquam contulerint, quoniam nondum exiſtebant, ſed adhuc in lumbis Adami continebantur.

§. 79. Quantum ad *ſimile* attinet, illud valdè eſt diſſimile. Verum id eſt, plures homines eſſe quaſi membra unius Corporis. Conſtituunt n. unum corpus, vel per conjunctionem naturalem, ſicut pater & filii; vel per conjunctionem moralem, ſicut princeps & populus, puta quando omnes, qui ſunt in populo, voluntates ſuas in unius principis voluntatem transtulerunt. Hactenus ergo analogia eſt inter corpus humanum, & Corpus, quod ex hominibus eſt congregatum: itemque inter animam, quæ regit ac movet membra corporis humani; & inter patrem vel principem, quatenus ille filios, hic populum ſuum regit. Verùm in quo Thomas nervum analogiæ ac ſimilitudinis ſuæ collocat, in eo partim diſſimilitudinem partim falſitatem ineſſe deprehendo.

§. 80. Falſum eſt, motus membrorum corporis non eſſe voluntarios ipſorum voluntate, neque hoc ex eo

am

ſequitur, quod voluntarii ſunt voluntate animæ, quoniam animæ voluntas quoq; membrorum eſt voluntas. Ecquid enim magis proprium alicujus eſt, quàm quod ipſi formaliter ineſt? at anima, & mediante animâ, etiam voluntas, formaliter eſt in membris, per ſui cum ipſis unionem. Fac autem, dici voluntatem alienam, reſpectu membrorum, quòd non ita propria ipſorum ſit, ſicut animæ propria eſt: hujus enim propria eſt per eſſentiam, imò ex multorum ſententia reapſe ab hac non eſt diſtincta: à membris verò realiſſimè diſtinguitur. Certum tamen manet, voluntatem utcunque ſic alienam eſſe veram & immediatam motûs membrorum cauſam. Ecquid verò amplius requiritur, ut aliquid voluntarium ſit, quàm ut à voluntate, velut à vera atque immediatâ cauſa procedat? Quod ſi eodem modo à voluntate Adami peccatum poſterorum procederet, eſſet res acta, neque quicquam in analogia deſiderari poſſet. At quantum diſtat? An voluntas Adami ita eſt in poſteris, ſicut animæ voluntas eſt in membris? An voluntas Adami æquè eſt vera & immediata peccati poſterorum cauſa?

§. 81. Regeret Thomas, analogiam ultra ſuum ſcopum non extendi oportere, & rectè quidem: nam ipſe vult docere, ad id, ut aliquid ſit peccatum *naturæ*, ſufficere, quòd ſit voluntarium *voluntate parentis*. Ad hoc illuſtrandum adducit ſimile ab actuali peccato membrorum corporis petitum. Quantum autem intereſt inter peccatum *actuale*, & peccatum *naturæ*, tantum etiam intereſſe cenſet inter diverſum voluntarii modum, puta quòd aliter peccatum actuale membrorum à voluntate animæ, aliter poſterorum peccatũ naturæ à voluntate Adami procedat

cedat. Admitto limitationem, ſed nondum ullũm video modum, quo expediatur id, quod eſt in quæſtione. Peccatum actuale membrorum ita eſt voluntarium voluntate animæ, ut non ſoli animæ, ſed etiam ipſis membris ad culpã imputetur. Quæritur jam, an poſterorum peccatum naturæ ita etiam ſit voluntarium voluntate Adami, ut non ſoli Adamo, ſed ipſis etiam ejus poſteris ad culpam imputetur? Eodem voluntarii modo id fieri non poſſe jam conceſſum eſt. At manifeſtus eſt ille modus, quo peccatum actuale membrorum à voluntate animæ procedit. Manifeſtum etiam eſt, quòd ille voluntarii modus ſufficiat. Non autem Thomas expoſuit alterum modum, quo peccatum poſterorum à voluntate Adami procedit; tantum abeſt, ut ad rationem peccati eum ſufficere docuerit.

§. 82. Expoſuit, inquies, his verbis: *Sic igitur inordinatio, quæ eſt in iſto homine ex Adam generato, non eſt voluntaria ipſius voluntate, ſed voluntate primi parentis, qui movet motione generationis omnes, qui ex ejus origine derivantur.* Verba valdè ſunt obſcura & ambigua. Dicit eſſe inordinationem voluntariam *voluntate primi parentis*; Sed de quâ voluntate primi parentis loquatur, non exprimit. Subjicit: *qui movet motione generationis*; an ergo voluntatem generandi intelligit? At voluntas generandi, ſive voluntaria generatio eſt cauſa, cur poſteri naſcantur ſine juſtitia originali: ſed non eſt cauſa, cur defectus juſtitiæ originalis ipſis ad culpam imputetur: quod unum eſt in quæſtione. Scivit ſcilicet Adamus, ſi generaret filios, tales ſe generaturum, qualis ipſe poſt lapſum erat: cùm ergò generavit, tales indirectâ voluntate generavit. Non autem hæc, inquam, eſt illa voluntas, ob quam defe-

ctus

ctus juſtitiæ originalis poſteris ad culpam imputatur. Quid ergò? an Thomas primam peccandi voluntatem Adami intelligit; qua accepit ex manu uxoris decerptum fructum arboris ſcientiæ boni & mali, & contra legem Dei comedit. Ita equidem puto: ſed non video, quomodo ab illa peccandi voluntate Adami, peccatum ſuum etiam poſteris ſit voluntarium. Ab illa, ut à cauſa immediata hoc non procedere, per ſe liquet, & ſuprà conceſſum eſt. An verò ut à cauſa mediatâ? At illius voluntas eſt cauſa mediata actionis, qui actionem jubet, qui ſuadet, qui conſentit, qui facit aliquid, ex quo novit illam ſequi, aut qui non impedit eam, cûm poſſit & debeat. Ita autem ſe non habet Adamus & Adami voluntas ad peccatum poſterorum.

§. 83. Licet, inquies, voluntas Adami ſecundum ſe non ſit cauſa peccati poſterorum, ne quidem mediata; eſt tamen cauſa ejus, præſuppoſitâ arctiſſimâ Adami cum poſteris conjunctione, & ſuperveniente pacto Dei. Sit ita: ſed quæritur an peccatum poſterorum inde in tantum ſit voluntarium, quantum ſatis eſt, ut etiam ipſis ad culpam imputetur: Id quod ſimpliciter adverſarii negabunt. Quod quo pateat clariùs, ſciendum eſt, voluntarium habere reſpectum, tùm ad *voluntatem*, quâ voluntarium eſt, tùm ad *perſonam*, cui voluntarium eſt. Propriè una eſt perſona, cujus voluntate, & cui aliquid voluntarium eſt, ſicut quod fit Titii voluntate, etiam Titio voluntarium eſt. Ita peccatum poſterorum fuit Adamo voluntarium, quoniam illius indirectâ voluntate homines omnes ſine juſtitia originali naſcuntur. Sed quæritur, an peccatum poſterorum ita ſit voluntarium voluntate

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

Adami,ut etiàm poſteris ad culpam imputetur. Hoc, inquam, negabunt adverſarii: niſi doceat Thomas, voluntatem Adami poſteris imputari non minus, quàm ſi propria ipſorum eſſet voluntas.

§. 84. Nihil hîc probat *ſimile*, imò ne quidem rem illuſtrat, quia non accommodatum eſt. Voluntas animæ ideò imputatur membris motis, quia ipſis ineſt per ſui cum ipſis unionem, & eſt immediata motus ipſorum cauſa: & hoc modo voluntas Adami, ut vidimus, non imputatur poſteris cum peccato genitis. Naturalis, quæ inter Adamum & poſteros eſt conjunctio, non infert imputationem, niſi earum actionum & voluntatum, quæ non ſunt contra legem Dei. Pactum quoque Dei cum Adamo, etſi valet ad propagandum defectum juſtitiæ originalis, non ad id tamen extendi debet, ut peccatum Adami, & conſequenter qui inde ortꝰ eſt juſtitiæ defectus, ad culpam imputetur iis, qui neque per influxum concurrerunt, neque directâ vel indirectâ voluntate, imò ne quidem per accidens quicquam contulerunt, repugnante & æquitate & Dei bonitate.

§. 85. Nihilominus Gabriel Vazquez probat & explicat Thomæ analogiam diſp. CXXXI. cap. II. num. 5. non quaſi undique ſit ſimilis & accommodata, ſed quòd inſtituto Thomæ ſufficiat. Oſtendendum erat, defectum juſtitiæ originalis in poſteris Adami eſſe propriè & formaliter ita dictum peccatum, quod ipſis rectè ad culpam pœnamque imputetur. Ad id autem probandum duo præſupponit: (I) *Adamum accepiſſe juſtitiam & gratiam, pro ſe & ſuis poſteris, ex pacto ſeu voluntate ipſius Dei.* (II.) *Adamum ex cauſa omnino voluntaria ſibi & poſteris hanc gratiam & juſtitiam amiſiſſe.* Ex priori concludit, defectum ju-

ſtitiæ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

ſtitiæ originalis in poſteris Adami eſſe defectum doni ſecundum legem adeſſe debiti, & ſic ἀνομίαν eſſe. Ex poſteriori colligit, licet defectus juſtitiæ Originalis in poſteris non ſit voluntarius ipſorum voluntate, eſſe tamen voluntarium voluntate primi parentis. Hæc duo putat requiri ac ſufficere, ut defectus juſtitiæ originalis in poſteris Adami ſit formaliter peccatum, ipſisque ad culpam imputetur. Prius requiri manifeſtum eſt. Unde ſi quis donum à Rege pro ſe & pro poſteris datum amittat, defectus hujus doni in poſteris non eſt peccatum, quia non eſt defectus doni adeſſe debiti. Solùm damnum poſterorum eſt. Id quod rectè annotat Vazquetz l. c. Nempe cum Anshelmus rem illuſtrâſſet *exemplo hominis, qui pro ſe & pro poſteris acciperet à Rege donum*, ſubjicit & decernit: *Verùm cum in hoc caſu non transfunderetur culpa in poſteros, in eo ſolum locum habebit* (ſc. exemplum) *quòd damnum* (non peccatũ) *ſecutũ poſteris diceretur voluntàrium voluntate primi parentis.* Poſteriorem etiam voluntarii modum ad formalem rationem peccati putat ſufficere, ſiquidem ita concludit: *Ex hac ratione voluntarii & ex naturâ defectûs, qui contrahitur à parvulis, ſeq. diſp. facilè monſtrabimus* (ſed non demonſtravit) *veram & propriam rationem peccati: eſt enim defectus juſtitiæ* (ſcilicet adeſſe debitæ) *cui ſi addas rationem hanc voluntarii, erit verè peccatum dignum aliquâ pœnâ: idemq; eſſet de illo, qui à Rege pro ſe & poſteritate aliquid accepit, ſi defectus illius doni eſſet juſtitiæ defectus.*

§. 86. Verùm enimverò an explicatus voluntarii modus ad formalem rationem peccati ſufficiat, adhuc manet res quæſtionis. Thomas nusquam probat, nusquã defenſor ipſius Vazquetz. Multò minùs ex ſe id mani-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

feſtum eſt. Certum præſupponit Vazquetz, Adamum ex cauſa omninò voluntaria ſibi & poſteris juſtitiam amiſiſſe. Qualis verò conſequentia? Ergo voluntate Adami ita voluntarius eſt defectus juſtitiæ in poſteris, ut etiam his ad culpam imputetur? An conſequentiæ vis eſt, quòd Adam juſtitiam voluntariè? An quòd ſibi & poſteris amiſit? An quòd utrumq;? Nihil horum puto. Manet enim omni ex parte voluntas Adami, ipſius propria, neq; rectè poſteris imputatur, neque apparet, quomodo aliàs inde oriatur modus volũtarii, qui poſteris ad peccati rationẽ ſufficiat. Ad id quoq; ne illuſtrandum quidem, ne dum ad probandum, quicquam valere ſimile, ſæpius eſt dictum. Ingeminabunt itaq; adverſarii, τὸ ἐν ἀρχῇ ubique eos petere, qui propagatum ad poſteros defectum juſtitiæ originalis ita voluntarium eſſe dicant voluntate Adami, ut etiam poſteris ad culpam imputetur. Imò contradictionem eſſe ingerent, eſſe voluntarium poſteris Adami, quantum ad formalem rationem peccati ſit ſatis, & tamen non ipſorum, ſed Adami voluntate voluntarium eſſe: Cùm nec ſolida in promtu ſit ratio, quare voluntas Adami poſteris rectè imputetur: perindè ut contradictorium eſt, aliquid album, nec propriâ tamen, ſed alienâ albedine album dicere.

§. 87. Objici contra peccatum originis poterat, quòd decernit & dicit Deus Ezech. XIIX. *Filius non portabit iniquitatem patris.* Verùm præeunte Thoma, dictum Dei ſic limitat Becanus: *Niſi filius ſit particeps peccati patris.* Et hactenus benè, habetq; conſentientes ipſos adverſarios. Quod enim illi objiciunt, poſteros non portare iniquitatem primi parentis: idem cum limitatione accipiunt, *niſi peccati ejus ſint participes.* Sed eſſe eos peccati Ada-

mi

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

mi participes, hîc labòr, hoc opus eſt docere ac probare. Becanus duos ponit modos, quibus aliquis poſſit eſſe particeps peccati patris ſui: (I) *Si imitetur peccatum patris.* (II.) *Si ipſius voluntas conſtituatur in voluntate patris, tanquam capitis & principis totius poſteritatis.* At plures eſſe modos, nullum eſt dubium, ſiquidem & delicti patris fit particeps, qui non improbat, qui conſentit, qui laudat, qui inſtrumenta patri ſuggerit, qui non impedit, cum poſſit ac debeat. *Pejus peccare, qui peccatum laudat*, ait Chryſoſtomus in I. Rom. ſub finem. Ut autem prior Becani modus dilatetur, in eo conſtitui poteſt, quòd quis *patris ſui delictum comprobat, vel in id conſentit,* ſive ipſe etiam committat, atque imitetur, ſive minus. Ita ſub *conſenſu & comprobatione*, præter imitationem, omnes jam dicti modi & alii plures comprehenduntur. Quod ſi igitur Becanus potuiſſet oſtendere, poſteros Adami eſſe peccati Adamitici factos participes, per *conſenſum* & *comprobationem*, ſive ut cum ipſo ſtrictiori vocabulo utamur, *per imitationem*, res eſſet acta. At negat hoc ipſe, cum aliis pluribus, & eò maximè, ut conjicimus, quòd non exſtiterunt poſteri, peccante Adamo, adeoq; ejus factum non comprobare, neque ullo modo in id conſentire potuerunt. Concludit igitur, eſſe participes peccati Adamitici, quòd *ſuam voluntatem in voluntate Adami, velut Capitis & Principis ſui conſtitutam haberent*, antequam exiſterent.

§. 88. Verùm quomodo voluntas poſterorum erat in voluntate Adami conſtituta? annon vi generationis, ex qua oritura erat, & orta deinceps eſt naturalis quædam poſterorum cum Adamo conjunctio? an verò per moralem conjunctionem, qua voluntas populi eſt in voluntate principis? Utrocunque modo exponatur con-

junctio,

junctio, non inducit imputationem actionum & voluntatum, niſi in iis, quæ non ſunt contra legem Dei, ut ſæpius dictum. Non etiam ita Deus pactus eſt cum Adamo, ut ſi ipſe peccaret, peccatum ipſius omnibus omninò poſteris ad culpam imputaretur, antequam exiſterent: quia ſalva ſuâ & æquitate & bonitate ſic paciſci non potuit. Sive igitur Becanus cauſam imputati poſteris peccati Adamitici in arctiſſimam Adami cum poſteris conjunctionem, ſive in pactum Dei, ſive in utrumque referat: perinde cum ſuprà memoratis auctoribus τὸ ἐν ἀρχῇ petit, vel etiam hujusmodi Dei pactum ſupponit, quod Deo repugnat.

§. 89. Absque adverſariorum & hæreticorum objectionibus foret: non eſſet, cur crucem hîc nobis figeremus: ſufficeret enim nobis ad fidem, ſcripturæ S. auctoritas, dum expreſſè ait, *in Adamo omnes peccaſſe*, & morti obnoxios factos eſſe; neque hoc ſolùm, ſed & ob connatum juſtitiæ defectum, & ſic naturâ omnes filios iræ apud Deum eſſe. Verùm ne hunc neceſſarium articulum de peccato originis ita injuriis expoſitum, & præſidio deſtitutum linquamus, occurrendum eſt adverſariis, quàm maximè fieri poteſt, ſalvâ fidei analogiâ. Sæpè enim *in vitium vitio coarctamur alieno*, ut phraſi Hilarii utar. Occurrendum autem eſt ex hypotheſibus conceſſis. Concedunt ipſi, rectè unius peccatum imputari alteri, qui id *probat*, aut quocunque modo in id *conſentit*; rectè etiam illius voluntatem eſſe hujus voluntatem cenſeri. Jam neque analogiæ fidei repugnat, neque vero abſonum eſt, neque quicquam inde abſurdi metuendum eſt, ſi ideò dicamus peccatum Adami imputari poſteris, quòd *illud*

conſ-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

comprobaverint, aut quocunq; modo in id *conſenſerint*.

§. 90. Ingens, inquies, abſurdum eſt, imò & contradictorium, poſteros potuiſſe comprobare peccatum Adami, & in id conſentire, antequam exiſterent. Benè: abſurdum & contradictorium id eſt, ſi ad conſenſum & comprobationem formalem res reſtringatur. Sed datur quoque voluntas, & conſequenter etiam conſenſus virtualis. Ad conſenſum *formalem* conſentientis & comprobantis requiritur exiſtentia; ad *virtualem*, non æquè requiritur. Quod ut rectè intelligatur, diſtinctio ante omnia fuſiùs explicanda eſt.

§. 91. Non nova, aut heri nata eſt diſtinctio, quâ aliquid *formaliter* vel *virtualiter* eſſe dicitur, ſed habet fundamentum in re, & latiſſimè patet, imò etiam categorias prædicationis tranſcendit. Aliàs aliquid *actu* vel *potentiâ* eſſe dicimus: per has voces fortè quia notiores ſunt, etiam illius diſtinctionis membra Philoſophi exponunt. Dicunt *formaliter eſſe*, quod actu eſt; & *virtualiter eſſe*, quod actu non eſt, eſſe tamen poteſt; aut eſſet, ſi aliud quid eſſet. Ad varios autem uſus diſſimili modo eam reſtringunt.

Primùm id *quod ab aliqua forma denominatur*, dicunt vel *formaliter* eſſe tale, quatenus in ſe habet formam, & ejus definitionem ſibi vendicat, quomodo ignis à calore ſibi inexiſtente calidus denominatur; vel *virtualiter*, quatenus in ſe non habet formam, habet tamen nobiliorem virtutem producendi eam, quomodo ſol calidus eſt ac denominatur.

Deinde Cajetanus *cauſam* diſtinguit in eam, quæ *formaliter cauſat*, quatenus reverà eſt cauſa; & in iſtam,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

quæ *virtualiter cauſat*, quatenus reverà non eſt cauſa, quoad noſtrum tamen cognoſcendi modum habet ſe inſtar cauſæ, & esſet quoque reverà cauſa, ſi ab eo, cujus cauſa dicitur, reapſe diſtingueretur.

Præterea omnis *effectus* comparatus *cauſæ* ſuæ, antequam eſt productus, virtualiter eſt; cum verò eſt productus, formaliter eſt. Hoc modo formaliter eſſe idem eſt, quod extra ſuam cauſam eſſe; & virtualiter eſſe, idem quod adhuc in cauſa ſua eſſe.

Denique *forma* quælibet comparatione *ſubjecti* ſui, antequam ex potentia ſubjecti eſt educta, continetur in eo virtualiter; cum jam educta eſt, formaliter in eo ineſt.

§. 92. Quantum ad præſens attinet, voluntas etiam aliqua dicitur vel formaliter eſſe vel virtualiter. Sordent aliquibus hæc adverbia, tùm quia minùs Latina ſunt, tùm quia ſubſtantivo addita inconcinnam locutionem reddunt. Igitur nos euphoniæ cauſâ adjectivis utemur, & παρωνύμως alteram *formalem*, alteram *virtualem* voluntatem ut plurimùm appellabimus. Ut verò membra diſtinctionis qualicunque nominali definitione exprimantur, ille habet *formalem* voluntatem, qui *actu aliquid vult*: qui *verò actu non vult, poteſt tamen velle*, habet *virtualem* voluntatem. Quanquam hæc Phyſica eſt deſcriptio voluntatis virtualis. In genere morum voluntas virtualis æſtimatur ex virtute & efficacia, quam habet, quatenus æquè ac formalis voluntas, volenti ad meritum vel demeritum imputatur. Et ſic amplius quid eſt, quàm *poſſe velle*. Nam quæ velle quis poteſt, infinita ſunt, & contraria: nemo autem judicatur ex tali voluntate, quâ infinita &

contraria velle poteſt: alioquin nec ſtaret judicium, & contrarias ſententias includeret. Inſuper *poſſe velle*, neque bonum eſt neque malum, niſi aliquo modo ad *velle* actuale, ſive ad actum volendi reſtringatur.

§. 93. *Velle actuale*, inquies, eſt formalis voluntas: ſi ergo voluntas virtualis non imputatur, niſi quatenus ad velle actuale reducitur, omnis voluntas erit formalis. Parata eſt reſponſio, per velle actuale non modo intelligi actum volendî, prout in præſenti elicitur, ſed etiam ad alias temporis differentias ampliari, & nunc abſolutè, nunc ſub conditione alicui tribui. Ita huic tribuitur velle actuale ſub tempore præterito, puta quòd voluerit, ſive quòd actum volendi habuerit: alii ſub tempore futuro, puta, quòd voliturus ſit, ſive quod actum volendi aliquando ſit habiturus. Rurſus huic tribuitur *τὸ velle* vel *voliturum eſſe* abſolutè; alii ſub conditione, puta quòd vellet, ſi aliud quid eſſet; aut voluiſſet, ſi aliud quid fuiſſet. In omnibus his denominationibus non merum *poſſe velle* datur, ſed etiam *velle actuale* quodammodo includitur, non licet ſub præſenti,, tamen ſub futuro vel prætερito tempore; & licet non abſolutè ac categoricè, tamen ſub conditione. Sic in genere morum virtualis voluntas non nudâ *poteſtate* (alioquin in infinitum extenderetur, quia ut dixi, infinita ſunt, quæ velle quis poteſt) ſed etiam *actuali exiſtentiâ* quodammodo circumſcribitur. Hoc autem intereſt inter formalem ac virtualem voluntatem, quòd formalis habet exiſtentiam actualem abſolutè, & pro tempore præſenti; virtualis autem non habet, niſi ſub conditione, & ſub alia quàm ſub præſentis temporis differentia. Proinde non eò dicitur virtualis voluntas,

 quòd

quòd *poteſt eſſe*; ſed quòd eſt *futura aliquando*; *aut quod eſſet, ſi aliud quid eſſet*; *aut quòd fuiſſet, ſi aliud quid fuiſſet.* Et per conſequens virtualiter aliquis velle dicitur, non præciſè ab actu, quem poteſt habere, ſed quem aliquando habiturus eſt, aut haberet, ſi aliud quid eſſet, aut habuiſſet, ſi aliud quid fuiſſet. Breviter: virtualis voluntas *futuritionem*, quam Scholaſtici vocant, quodammodo includit, etiam prout ad tempus præteritum reſtringitur. Non enim accipit tempus præteritum, ut præteritum, ſed ut futurum ſub conditione: quandoquidem voluntas futura fuiſſe intelligitur, ſi conditio fuiſſet. Quanquam quod jam eſt præteritum, aliquando fuit reverà futurum. De quo igitur jam dicimus: *Non factum eſt; fuiſſet autem factum, ſi aliud quid fuiſſet*: de eo aliquando licuit dicere: *Fiet vel erit, ſi aliud quid erit.*

§. 94. Deſcriptio ut intelligatur, notandum eſt, omne quod futurum eſt, ſub conditione futurũ eſſe. Quò minùs enim id, quòd futurum eſt, actu ſit, cauſa eſt, quòd nondum impleta eſt conditio, ſub qua futurum eſt. Non autẽ ut aliquid ſit futurum ſub conditione, neceſſum eſt, impleri aliquando conditionem, ſed ſufficit, tale quid futurum eſſe, ſi conditio in rem abiret, aut futurum fuiſſe, ſi conditio extitiſſet. Hinc trita Logicorum regula: *Conditionalis propoſitio nihil ponit in eſſe.* Nempe ex antecedente, & conſequente conſtat: quæ Jctis dicitur conditio, Logicis antecedens eſt: quod futurum eſt ſub conditione, Logicis eſt conſequens. Neutrum neque antecedens neque conſequens conditionalis propoſitio eſſe vel non eſſe ſignificat: & eatenus *nihil ponit in eſſe.* Proinde cùm propoſitio aliquid futurum ſub conditione enunciat, neque conditionem,

nem, neque id quod futurum eſt ſub conditione, eſſe ſignificat. Cum igitur & virtualis voluntas ſit futura ſub conditione, nihil ad eam refert, utrum impleatur conditio, an minùs. Si eſſet futura ſimpliciter, aliquid in eſſe poneret. Nunc verò cum ſit futura ſub conditione, neq; ipſa neque ejus conditio in eſſe ponuntur. Multum autem intereſt, utrum ad tempus *præteritum*, an ad *futurum* voluntas virtualis reſtringatur. Si ad tempus præteritum; intelligitur voluntas, quæ formaliter nunquam fuit, fuiſſet autem, ſi aliud quid fuiſſet. Sin ad tempus futurum; eſt bipartita. Quædam formaliter eſt futura, quia aliquando implebitur atque in rem abibit conditio, ſub qua eſt futura. Quædam verò etiam formaliter nunquam eſt futura; eſſet autem aliquando, ſi aliud quid eſſet. In univerſum ergò voluntas virtualis diſtinguitur in eam, quæ *formaliter aliquando eſt futura*, ob implendam olim conditionem; & in iſtam, *quæ formaliter nec unquam fuit, nec unquam eſt futura*, ob neque impletam, neque poſt hac implendam conditionem; qualis eſt voluntas, quæ eſſet, ſi aliud quid eſſet, aut quæ fuiſſet, ſi aliquid fuiſſet.

§. 95. Cum autem voluntas nunc pro *actu*, nunc pro *potentiâ* accipiatur, per quam actus producitur, & in qua ſimul recipitur: notandum eſt, aliam eſſe voluntatem virtualem *quoad actum ſolùm*, quæ hactenus deſcripta eſt; puta cum quis formaliter quidem habet potentiam volendi, ſed actum nondum habet: aliam verò eſſe virtualem *quoad potentiam & actum ſimul*, puta cum quis non tantùm actũ, ſed ne potentiam quidem volendi pro certo tempore habet, quia nondum eo tempore eſt homo na-

 tus;

tus; habebit tamen aliquando potentiam cum tali actu, aut ſi habuerit ſolam potentiam, haberet tamen etiam actum, ſi aliud quid eſſet.

§. 96. Cæterùm quod dixi, in genere morū virtualem voluntatem æſtimari ex virtute & efficacia, quam in ordine ad culpam vel meritum habet: id non intelligendū eſt, niſi de judicio, in quo judex ſedet, qui ut futura omnia, ita etiam virtualem cujusque voluntatem cognoſcit, antequam in rem abeat; imò eam quoque cognoſcit, quæ nunquam in rem abiit; nunquam abibit; cognoſcit autem futuram fuiſſe, ſi aliud quid fuiſſet; aut adhuc fore, ſi aliud quid eſſet. Negant hanc Dei ſcientiam Sociniani: nos verò ut conceſſam hîc ſupponimus, quàm alibi abunde demonſtramus, totaque Scriptura exemplis luculentisſimis illuſtrat & confirmat. In præſentia autem non de alio quàm de Dei omniſcii judicio agimus, diſceptantes, an & quomodo Adami peccatum poſteris ad culpam imputetur. Ita voluntas virtualis à Deo præſcita hîc magnam quoque, imò parem cum voluntate formali vim atque efficaciam habet. Quod enim aliàs in judiciis humanis verum eſt de voluntate formali: *Voluntas habetur pro facto*; ſcilicet quatenus judici cognita eſt, & ſeria atque efficax voluntas eſt: idem in Dei judicio valet de voluntate virtuali, quanquam remotè & mediatè: puta quia voluntas virtualis primùm pro formali; & deinde, hac mediante, demum pro facto habetur: utrumque per fictionem juris. Voluntas enim non eſt ipſum factum, multò minus voluntas virtualis eſt formalis voluntas. Fingitur autem eſſe, ſuadente æquitate, quia utriusq; in genere morum, quoad merita ac demerita, par eſt vis, par efficacia, par ratio.

§.101.Ex-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

§. 97. Exempla ex ſcriptura in promtu ſunt plurima. Antequam nati erant Ægyptii, qui afflixerunt populum Iſraeliticum, prævidit Deus, eos hunc populum afflicturos eſſe. Hæc erat virtualis ipſorum voluntas *quoad potentiam & actum:* quatenus tamen præſcita à Deo ac præviſa erat, impulit ac permovit ipſum, ut pœnam Æpyptiis, antequam naſcerentur, eo nomine decerneret. Vide Gen. XV, 13, 16. Exod. II, 23, 24. Similiter prævidit & prædixit DEUS, poſt obitum Moſis prævaricaturum, & cumprimis idololatriæ ſe crimine obſtricturum eſſe ipſum populum Iſraeliticum. *Ecce,* ait Deus ad Moſem, *tu dormiturus es cum patribus tuis: poſtea ſurget populus iſte, & fornicabitur poſt Deos alienigenas terræ, ad quam pergit, ut habitet in medio ejus, & derelinquet me, irritumq; faciet pactum meum, quod pepigi cum eo.* Deut. XXXI, 16. Confer v. 21. Ex ore Dei idem prædixit Moſes v. 27, 29. Hæc etiam virtualis Iſraelitarum voluntas à Deo præſcita movit ipſum, ut pœnas in anteceſſum ipſis pro tanta prævaricatione decerneret ac deſtinaret: *Unde* (ait Moſes v. 29.) *eveniet vobis malum in noviſſimo dierum, cum feceritis malum in oculis Domini, irritando eum opere manuum veſtrarum.*

§. 98. Præterea prævidit & prædixit Deus, quàm incredulus, quàm ingratus, quàm rebellis & contumax futurus ſit populus Iſraeliticus, ubi venerit Meſſias. Videre id eſt apud Eſaiam cap. LIII. apud Danielem cap. IX, 16. quæ omnia in N. T. ad Meſſiam applicantur, cum additamento, *oportuiſſe iſta omnia ſic fieri* Matth. XXVI, 54. Luc. XXIV, 44, 45, 46. cap. XVIII, 31. Confer Matth. XX, 19. & Marc. X, 33. Movet hæc etiam Iſraelitarum voluntas virtualis Deum, ut multò ante quàm in rem abiret, debitas re-

jectio-

jectionis pœnas ipſis decerneret. Quid? quòd etiam Chriſtus præſcivit & prædixit, Judam ſe proditurum eſſe, multò antè quàm Judas id animum induxiſſet. Quam autem execrabilis atque abominabilis Deo fuerit illa Judæ virtualis voluntas, ex eo intelligere eſt, quòd Chriſtus comminationem hanc prædictioni ſuæ addidit: *Væ homini illi, per quem filius hominis proditur. Bonum erat homini illi, ſi natus nondum fuiſſet.* Matth. XXVI, 24.

§. 99. Hæc hactenus exempla ſunt voluntatis virtualis, quæ aliquando in rem abiit. Sed nec deſunt exempla ejus virtualis voluntatis, quæ nunquam in rem abiit, nunquam abibit, ob non impletam, vel non implendam unquam conditionem. Prævidit Chriſtus, ſi incolis Tyri & Sidonis facta fuiſſent miracula, quæ in urbibus Chorazin & Bethſaidan facta eſſent, eos credituros fuiſſe doctrinæ ſuæ, & cum ſacco ac cinere pœnitentiam acturos. Matth. XI, 21. Luc. X, 13. Erat hæc virtualis Tyriorum & Sydoniorum voluntas, ſed quæ nunquam in rem abiit, quia conditione nititur, quæ nunquam fuit impleta. Nunquam enim Tyri & Sydone ea facta fuerunt miracula, quæ in urbibus Chorazin & Bethſaidan facta ſunt. Nihilominùs hæc ipſorum virtualis voluntas à Deo præſcita movit Deum, ut tolerabiliores pœnas iis, quàm Chorazinis & Bethſaidanis, ſe inflicturum decreverit. *Veruntamen dico vobis*, (ait Chriſtus ad Chorazin & Bethſaidan) *Tyro & Sidoni remiſſius erit in die Judicii, quàm vobis v.* 22. ſcilicet ob virtualem, quàm dixi, reſipiſceudi voluntatem, à Deo præſcitam. Eandem ob cauſam etiam dicit, tolerabiliorem fore conditionem Sodomorum, quàm Capernaumi; quia prævidit, ſi ibi facta eſſent miracula,
quæ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

quæ hìc facta ſunt; non perituros fuiſſe. Sunt hæc exempla voluntatis virtualis bonæ, quæ nunquam in rem abiit, movit tamen Deum ad minuendam pœnam. Sed & exemplum voluntatis virtualis malæ nobis ſiſtitur in gentibus, quæ carent beneficio prædicationis evangelii. Cauſa refertur in ingratitudinem majorum, ſed non eſt adæquata cauſa. Prævidit Deus, ſi vel maximè verbum ſuum etiam poſteris prædicatum fuiſſet, æquè ingratè fuiſſe repudiaturos. Virtualis hæc erat ipſorum voluntas, ſed quæ nunquam in rem abiit, quia non impleta fuit conditio: non enim Deus ipſis copiam prædicationis verbi ſui fecit.

§. 100. Ex quibus liquidò patet, nihil intereſſe ad voluntatis virtualis vim & efficaciam, utrum aliquando ſit futura formaliter, an nunquam. Non enim movet Deum, præcisè ut *futura*, ſed ut *voluntas*. Futuritionem tamen aliquam, ut ita appellem, ſive abſolutam, ſive conditionatam, aliam ob cauſam connotat & includit. Nempe nulla ne formalis quidem voluntas movet, niſi quatenus hoc vel illud ſubjectum, hanc vel illam perſonam afficit; breviter: non movet, niſi quatenus alicujus eſt *propria* voluntas: modò eatenus obſervetur analogia, ut ſi eſt formalis voluntas, formaliter; ſin virtualis; virtualiter propria habeatur. Eſt autem formalis voluntas hujus vel illius perſonæ propria, eò quòd actu ei ineſt. Unio enim & inhærentia actualis rem maximè propriam facit. Virtualis autem voluntas eſt propria per futuritionem; id eſt, per futuram unionem & inhærentiam, puta quatenus in hâc vel illâ perſonâ aut eſt aliquando futura, aut eſſet futura, ſi aliud quid eſſet, aut fuiſſet futura, ſi aliud quid fuiſſet. Itaque virtualis voluntas includit futuritio-

ritionem, ſive abſolutam ſive conditionatam, ut virtualiter propria habeatur: non autem movet, ut futura, ſed ut voluntas, & quidem ut virtualiter propria voluntas: ſicut altera, quæ formalis eſt voluntas, movet ut formaliter propria.

§. 101. Obſervandum autem hîc eſt, non ex quâcunque conditione voluntatem virtualem cenſeri. Multæ enim ſunt poſſibiles conditiones, quæ ſi ponerentur, alia atque alia eſſet futura hominum voluntas. Omnium itaque ſi haberetur ratio, Deus in hominibus contrarias voluntates præzideret, atq; æſtimaret: quod eſt abſonum. Ex qua autem conditione æquitas jubet vel ſuadet æſtimari voluntatem, ex eâ rectè æſtimatur. Secundum æquitatem verò eodem loco eſt voluntas virtualis, quo formalis. Ex qua ergo conditione impletâ æſtimatur voluntas formalis, ex eadem quantumvis nunquam implendâ, æſtimanda etiam venit voluntas virtualis. Chriſtus voluntatem formalem incolarum Chorazin & Bethſaidan æſtimat ex miraculis apud ipſos factis, puta quòd ſpretâ tantâ gratiâ, ſit malitioſa apud ipſos impœnitentium voluntas. Rectè ergo etiam virtualem reſipiſcendi voluntatem civium Tyri & Sidonis æſtimat ex eâdem conditione, nunquam quantumvis impletâ, nunquam etiam implendâ, puta ſi eadem aut ſimilia ibi facta eſſent miracula. Ita quarundam gentium formalis voluntas repudiandi verbum fuit alligata ad poſſeſſionem: quod enim non præſtò eſt, repudiari non poteſt. Ergo & cujusdam gentis virtualis repudiandi verbi Dei voluntas æſtimatur ex conditione eâdem, quantumvis nunquam implendâ, puta ſi ei facta eſſet verbi Dei copia.

§. 102.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

§. 102. Cauſas autem vel non impletæ, vel non implendæ conditionis nemo à nobis requiſierit. Multas enim & varias eſſe, res ipſa docet. Chriſtus non potuit Tyri & Sidone facere miracula, tùm quia everſæ erant civitates, cùm in carnem veniſſet Chriſtus, tùm quia nondum erat natus, cùm adhuc illæ civitates ſtarent. Sed & ipſa virtualis voluntas aliquando eſt cauſa, cur non impleatur conditio, ſub qua eſſet voluntas futura. Sicut quæ in gentibus prævиſa eſt voluntas repudiandi verbi Dei, movit Deum, ne ipſis copiam verbi ſui faceret. Nobis ſufficit hæc una cauſa, quòd ad explorandam hominum voluntatem non opus eſt conditionem impleri, ex qua illa æſtimanda venit, quoniam jam ante ab omni æternitate Deo omniſcio tam cognita eſt, quàm ſi conditio impleta eſſet. Ita, ut Deus ingratitudinem hujus vel illius gentis erga verbum ſum exploraret, non erat opus dare ei verbum ſuum, quia jam ante ab æterno prævidit, ingratè verbum ſuum eam gentem eſſe repudiaturam, vel aſpernaturam, id ipſi ſi concederet.

§. 103. Antequam uſum dictorum in præſenti tractatione oſtendamus: adhuc unum atque alterum notandum ac præſupponendum eſt. Primùm certum eſt habendum, propoſitam diſtinctionem voluntatis in formalem ac virtualem immediatam eſſe. Si enim voluntas formalis eſt *quæ actu eſt*; & virtualis eſt, *quæ actu non eſt, poteſt tamen eſſe*: utique inter voluntatem formalem & virtualem non magis dari poteſt tertium, quam inter id *quod actu*, & id *quod actu non eſt, poteſt tamen eſſe*. Deinde non eſt prætermittendum, adeò generalem eſſe diſtinctionem, ut tàm *directæ*, quàm *indirectæ* voluntati ac-

commodari poſſit. Vulgò quidem directa voluntas deſcribitur per voluntatem formalem & expreſſam, ſed intelligitur directa, quæ in rem abiit: interim cum adhuc eſt futura, eſt directa virtualis. Indirecta autem voluntas, licet nunquam ſit expreſſa, quia tamen in voluntate aliquâ directâ & expreſsâ fundatur, in tantum formalis vel virtualis eſt, in quantum directa talis vel talis eſt. Nempe ſi directa voluntas in rem abiit, & formaliter jam eſt; etiam indirecta quæ in eâ fundatur, in rem abiiſſe & formaliter eſſe cenſetur. Etſi directa adhuc futura, & ſic non plus, quàm virtualis voluntas eſt; etiam indirecta quæ ei adhæret, non plus quam virtualis eſt voluntas. Differentiæ cauſâ dicatur voluntas indirecta formalis vel virtualis, non in ſe, ſed in virtute voluntatis directæ: hæc autem in ſe talis vel talis eſſe exiſtimetur.

§. 104. Quibus ita præmiſſis, & hunc in modum explicatis, ut poſtliminiô ad inſtitutum revertamur, explicandum reſtat, quomodo in Adamo omnes homines peccaverint. Aliquâ *voluntate* eos peccâſſe, dandum eſt adverſariis, id nobis objicientibus, intelligi verbo *peccandi* actuale peccatum, & omne actuale peccatum per eſſentiam voluntarium eſſe. Jam verò in foro ac judicio Dei peccatum tam ex voluntate virtuali, quàm formali æſtimari, neq; inter hæc duo tertium dari, plus ſatis oſtenſum eſt. Alterutrâ ergo voluntate homines omnes in Adamo peccâſſe neceſſum eſt. Non autem *voluntate formali* eos peccaſſe, res quoque ipſa loquitur: quandoquidem formalis voluntas non niſi eorum eſt, qui exiſtunt: at peccanti Adamo non coexſtitiſſe poſteros, etiam certum eſt. Ad virtualem autem voluntatem non requiritur volentis exiſtentia, ſiquidem aliqua *quoad po-*

ten-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

tentiam & actum ſimul virtualis voluntas eſt, ut ex memoratis exemplis liquet. Quid ergo relinquitur, niſi ut omnes homines in Adamo *virtuali voluntate* peccaverint?

§. 105. De cognitione virtualis voluntatis jam res eſt expedita. Non requiritur, ut ea ulli alii, quam Judici ſit cognita. At judex peccati Adami, & omnium hominum, qui in eo peccârunt, eſt qui omnia ſcit Deus. Huic ergò virtualis illa peccandi voluntas omnium hominum ab æterno fuit cognitisſima. Movit igitur Deum ab æterno, ut omnes homines in tempore naſcituros haberet reos peccati, & pœnæ æternæ obnoxios, antequam alii ex aliis naſcerentur. In quo autem conſiſtat virtualis illa omnium hominum peccandi voluntas, res eget explicatione. Non eſt voluntas, quæ aliquando in rem abiit, aut abitura eſt, ſed quæ in rem abiiſſet, ſi aliud quid fuiſſet. Nititur enim conditione, quæ nunquam fuit impleta. Et ex iisdem æſtimatur, ex quibus formalis peccandi voluntas Adami, quoniam objecto & omnibus circumſtantiis conveniunt. Eadem, inquam, peccandi voluntas, quæ formalis fuit in Adamo, in poſteris concipitur ut virtualis voluntas. Cætera ergo omnia eadem concipienda ſunt.

§. 106. Nempe Adam & Eva acceperant legem de fugiendo fructu arboris ſcientiæ boni & mali, ſub ſevera mortis comminatione. Erant conditi in juſtitia & ſanctitate, ad obediendum Deo, ſed cum libertate arbitrii, ut ſi vellent, prævaricari poſſent. Acceſſit ad Evam Serpens, & motiva peccati ſuggesſit; primùm quòd non esſent morituri, ſi de fructu comederent; deinde quòd esſent Deo in ſcientia boni & mali æquales futuri. Evæ inſuper viſus eſt fructus adſpectu pulcher, eſuque jucun-

dus, & eò magis, quòd comedentem ſapientiorem redderet: igitur comedit non ipſa tantùm, ſed etiam viro dedit, fortaſſis non ſine commendatione. Vir quoque, præter dictas cauſas, dubio procul etiam amore uxoris permotus & impulſus, fructum non recuſavit: & ſic ambo peccârunt.

§. 107. Ponamus jam in eodem ſtatu cum Adamo & Eva poſteros omnes extitiſſe. Fuerit ſcilicet lex eadem ipſis data: quanquam id ne ponendum quidem eſt, quoniam reverà eadem lex in Adamo, omnes æquè obligavit, adeò quidem, ut ſi Adam abſtinuiſſet à fructu vetito, omnibus deinceps abſtinendum fuiſſet. Fuerint æquè conditi, ſancti quidem & juſti, ſed cum libertate arbitrii. Fuerint propoſita ipſis eadem peccandi motiva, quæ Adamo & Evæ. Fuerint denique eadem omnia, quæ peccatum primorum parentum circumſtabant: prævidit Deus, pro omniſcientiâ ſuâ, omnes poſteros æquè abuſuros libero arbitrio, & de fructu vetito comeſturos, adeoque pari ſe peccato eſſe obſtricturos.

§. 108. Virtuali huic peccandi voluntati poſterorum peculiaris ratio ac differentia ab eo accedit, quòd non ſimpliciter, ſed cum addito, *in Adamo*, omnes peccâſſe dicuntur. Plures per additum illud putant *reſpectum naturalis generationis* denotari, puta quòd omnes in Adami lumbis continerentur, & ex eo naſcituri eſſent. Et rectè id quidem: modò non excludatur *reſpectus ad ipſum peccatum Adami*, qui multò potior eſt, & hìc præcipuè attenditur. Seponamus aliquantiſper reſpectum hunc, imò fingamus, Adamum non peccâſſe: Si nihilominùs in eodem ſtatu fuiſſent poſteri, in quo Adam fuit, potuiſſent æquè voluiſſe peccare, ſed non ſic in Adamo

peccaſſe,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

peccâſſe, aut peccaturi fuiſſe dicerentur, licet ab illò, ut à communi parente deſcendiſſent. Igitur quòd omnes in Adamo peccâſſe dicuntur, ſic intelligamus, *à peccato Adami*, velut à quodam *principio* orituram fuiſſe peccandi voluntatem poſterorum, ſi in rem abiiſſet, quam nunc virtualem ipſorum voluntatem nuncupamus.

§. 109. Quod quò pateat clariùs, notandum eſt, voluntatem vel *abſolutè* dici, & ſine reſpectu ad alium idem volentem; vel *cum reſpectu ad alium*, qui idem velit & fortè voluntate ſuâ præeat. Priori dicendi modo abſolutum voluntatis nomen retinet: poſteriori verò ratione vocabulo relativo *conſenſus* nuncupatur: ubi unius prior voluntas voluntatis alterius conſentientis quodammodo principium eſt. Nec minus conſenſus in *formalem*, & *virtualem*, quàm voluntas in genere diſpeſcitur, pari membrorum notione ac definitione. Neque enim voluntati ſimpliciter ita dictæ quicquam ſuperaddit *conſenſus*, niſi reſpectum, quem dixi, ad alterum idem volentem. Quando in Adamo omnes poſteri peccâſſe dicuntur, non intelligitur poſterorum *abſoluta voluntas*, ſed cum reſpectu ad Adamum idem prius volentem, id eſt, *conſenſus*. Conſenſus formalis intelligi nequit, quoniam ille non eſt niſi coëxiſtentium: ſed poſteri peccanti Adamo non coexſtiterunt. Conſenſus verò virtualis, quid abeſt, quin rectè per additum *in Adamo* intelligatur, ut ſenſus ſit: *Si poſteri Adamo peccanti coëxtitiſſent, omnes ipſi in peccato conſenſuros fuiſſe?* At enim, inquies, Adam quoque Evæ in peccato conſenſit, nec tamen in Evâ peccaſſe dicitur. Ita eſt: conſenſus ſolus illi locutioni fortè non locum facit, niſi etiam conſentientium alter ab altero propiùs de-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

pendeat, ſicut ab Adamo poſteri. Addo, locutionem illam ferè conſenſui virtuali aptandam eſſe, non etiam formali voluntati. Quilibet enim, qui peccanti alteri formali voluntate conſentit, in ſe ipſo etiam peccat: qui autem virtualiter conſentit, antequam eſt natus, non videtur rectè dici peccare, niſi in alio, qui prior peccat. In quantum enim quiſque exiſtit, in tantum etiam peccat. Qui in ſe, & extra alterum jam exiſtit, in ſe etiam peccat, licet alteri imitantis more conſentiat. Qui autem adhuc eſt in lumbis alterius, & olim demum ab ipſo naſciturus eſt, non in ſe, ſed in alio peccat, in eo ſcilicet ipſo, in cujus lumbis continetur: puta quia ſi coëxiſteret, conſenſurus eſſet, qui eſt ille ipſe virtualis conſenſus, quem toties commemoramus. Ergo per additum in *Adamo* non unus reſpectus denotatur, ſed conſideratur Adam ſemel ut qui *prior peccavit*; & rurſus ut *communis parens*, in cujus lumbis adhuc poſteri continebantur. Potior tamen eſt reſpectus ad Adamum peccantem, quàm generantem, quoniam ſi poſteri in Adamo per conſenſum peccârunt, conſenſus naturâ & principaliter reſpectum ad Adamum priùs peccantem importat. Alter autem reſpectus, qui virtualem exiſtentiam conſentientium includit, eoque non niſi *conſenſum virtualem* in ipſis arguit, ſubintelligitur, vel connotatur; putà quòd poſteri tum nunquam niſi in lumbis Adami erant, cùm ille peccaret, neque adeò aliter, quàm virtuali voluntate ac conſenſu peccare in ipſo poterant.

§. 110. Legimus, cum Abraham Melchiſedeco Regi ſibi occurrenti, poſt cæſos Reges, ac benedicenti decimas daret, *in Abrahamo etiam decimatum eſſe ipſum Levi*, *qui*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

qui decimas ſolet accipere. Heb. VII, 9. Ubi per additum, *in Abrahamo*, quoque reſpectus denotatur ad decimas ab Abrahamo oblatas, ſubintellecto vel connotato, quòd nusquam tum Levi, niſi in lumbis Abrahami erat, quemadmodum id ſtatim ibi verſu ſeq. 10. ita explicatur: *Nam is adhuc in lumbis patris erat, cùm occurreret Abrahamo Melchiſedecus.* Nec quicquam cauſæ dici poteſt, quin per *conſenſum* Levi in Abrahamo decimatus eſſe intelligatur; ſed an per conſenſum *virtualem*, non temerè dixerim. Nihil quidem eſt abſurdi, ſi ita exponatur, ut ſenſus ſit: *ſi Abrahamo decimas danti coexſtitiſſet Levi filius, hunc illi in religione dandarum decimarum conſenſurum fuiſſe.* Verûm ad voluntatem *virtualem* non eſt confugiendum, ubi voluntati *interpretativæ*, ac fictioni & imputationi juris, quam ſuprà expoſuimus, eſt locus, quam à voluntate virtuali toto cœlo diverſam eſſe, res ipſa loquitur.

§. 110. Voluntas *virtualis* non eſt niſi à Deo præſcita; ab hominibus æquè cognoſci non poteſt, niſi ex Dei revelatione: ſed voluntas *interpretativa*, ſicut in æquitate fundatur, ita ex regulis æquitatis & prudentiæ cognoſcitur. Fundamentum eſt ſæpiùs dicta arctiſſima conjunctio, quæ eſt v. g. inter patrem & filium, principem & populum. Ex ea conjunctione fluit, ut filius patri, populus principi, & præcipienti parere, & aliquid per ſe facienti non refragari debeat, in iis, quæ non ſunt contra legem Dei; adhuc magis in rebus ac negotiis communibus. Hoc parendi ac non refragandi debitum, fictione juris, pro voluntate reputatur, & voluntas *interpretativa* dicitur. Ita cum pater contrahit cum alio de bonis ſuis, antequàm natus eſt filius, hic illi conſentire, & illius voluntas eſſe hu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

jus voluntas cenſetur. Ratio eſt, quia ſi natus eſſet filius, & ad rationis uſum adoleviſſet, ſciret, ſe debere patri non refragari, præſertim in uſu bonorum communium, cum præſumatur pater de iis, quod intereſt, ſtatuere & agere. Hæc eſt illa æqua interpretatio, unde voluntas *interpretativa* nuncupatur.

§. III. Ubi Hugo Grotius de ſucceſſione ab inteſtato agit, reddit hanc à voluntate interpretativa non alienam regulam: *Creditur in dubio id quisq; voluiſſe, quod æquisſimum atq; honeſtisſimum eſt.* libr. II. de J. B. & P. cap. VII. §. III. Dubia ipſi dicitur voluntas defuncti, quatenus teſtamentum non fecit. Hîc nobis aliâ applicatione dubia venit voluntas ejus, qui nondum eſt natus, aut nondum ad rationis uſum adolevit, comparatione ſuperioris ſive patris, ſive Principis. Hunc ſuperiori obedire vel conſentire velle, ſi exiſteret, & ratione uti poſſet, æquisſimum juxtà ac honeſtiſſimum eſt, in iis ſaltem, quæ non ſunt contra legem Dei, maximè in negotiis æquè ad utrumque pertinentibus. Creditur igitur, tale quid voluiſſe, antequam ratione uti poſſet, imò antequam etiam natus eſſet. Quod tamen non ita accipiendum eſt, quaſi filius ſi patri rectè agenti coexiſteret, non poſſet aliter agere, quàm ipſi conſentire, & rectè quoque agere. Sæpe enim, Patre rectè agente, filius prævaricatur: & cum nondum natus erat, prævidit Deus, ſi patri quantumvis rectè agenti coexiſteret, prævaricaturum eſſe. Quo in caſu voluntas patris non eſt voluntas filii: ſed ita res habet in Dei judicio, quem nihil rerum futurarum latet. In judicio humano valet, quod probabilius eſt, ſcilicet ut filius ſi patri rectè agenti coexiſteret, ipſi conſentire velle

intel-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

intelligatur: quia hoc æquiſſimum atque honeſtiſſimum eſt, nec contraria voluntas judiciis hominum pervia eſt. Hæc, inquam, eſt *interpretativa* illa voluntas, quæ toties nobis memorata eſt.

§. 112. Poſteros in Adamo *voluntate interpretativâ* non peccâſſe, tota diſputatione oſtendimus. Tantum enim abeſt, ut voluntas peccandi patris *interpretativè* imputetur filio, ut etiam tota æquitas reclamet. Benè autem iſtum in ſenſum in Abrahamo decimatus eſt Levi, antequam natus erat; quia ſi jam *tum* natus fuiſſet, & ratione potuiſſet uti, ſciviſſet, ſe non debere patri in dandis decimis diſſentire, maximè quòd de bonis ad ſe quoque pertinentibus acciperentur. Accedit, quòd eſſet cultus religioſus, qui etiam Deô deberetur. Hâc interpretatione voluntas Abrahami in dandis Melchiſedeco decimis erat Levi filii voluntas.

§. 113. Cæterùm etſi voluntas *virtualis* à voluntate *interpretativâ* & fictâ iſtum in modum, ut dixi, diſtinguitur, quòd hæc fictione juris conſtet, illa Dei præſcientiâ: attamen nec illa ab omni fictione liberari poteſt. Excludit quidem fictionem, quâ ſecundum regulas æquitatis & prudentiæ voluntas patris cenſetur eſſe voluntas filii, in principali negotio, quod pater agit. Admittit interim duplicem aliam fictionem, in æquitate quoq; fundatam: unam quâ poſteri, antequam nati ſunt, *quaſi nati*, concipiuntur (quomodo enim dicerentur in Adamo peccâſſe, niſi *quaſi nati* conciperentur?) alteram, quâ virtualis ipſorum voluntas eodem loco, quo voluntas formalis cenſetur. Verùm prior fictio, etſi voluntati interpretativæ quandoq; adhæret, ſicut vidimus in exemplo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

Levi, eam tamen formaliter non conſtituit. Poſterior quoque alius generis eſt. Quando, inquam, voluntas Abrahami in dandis Melchiſedeco decimis cenſetur eſſe voluntas Levi filii; non ex præviſo virtuali Levi conſenſu, ſed ex æquitate; hæc eſt fictio reddens voluntatem interpretativam: quando verò virtualis voluntas peccandi poſterorum à Deo præſcita ac præviſa, eodem habetur loco, in Dei judicio, quo formalis voluntas; hæc fictio non voluntatem interpretativam conſtituit.

§. 114. Ergóne, inquies, nihil horum rectè dicitur, neque quòd voluntas Adami ſit poſterorum voluntas, in commiſſi peccati facinore, neque quòd Adami peccatum poſteris imputandum ſit, neq; quòd quocumque modo peccatum Adami etiam poſterorum peccatum cenſeri debeat? Non dico id ſimpliciter, ſed diſtinguo. Quatenus illæ locutiones ducuntur à voluntate interpretativâ, vix admittet adverſarius. Nihil interim cauſæ dici poteſt, quin etiam voluntati virtuali rectè aptentur. Quando ſcilicet virtualis voluntas poſterorum eodem habetur loco, quo voluntas formalis Adami: tum poſteris voluntas Adami quodammodo imputatur, & poſterorum eſſe voluntas cenſetur, in peccati commiſſi actu: & conſequenter peccatum Adami eatenus etiam poſterorum peccatum eſt. Perinde enim cenſentur ac dicuntur peccâſſe in Adamo, ac ſi idem peccatum cum Adamo formali atque expreſſâ voluntate perpetrâſſent.

§. 115. Refert ad propoſitum explicare, quomodo intelligendum ſit, quod ait Paulus Rom. V, 14. *Mortem etiam in eos regnâſſe, qui non peccaverunt ad ſimilitudinem transgreſſionis Adami.* Uti quodlibet aliud peccatum, ita & trans-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

transgreſſio Adami habet duplicem conceptum: unum *generis*, quo eſt actuale peccatum, præciſâ objecti & circumſtantiarum ratione; alterum *ſpeciei*, quo concipitur ut peccatum circa tale objectum, & ſub talibus circumſtantiis, puta quòd ſit actus veſcendi fructu arboris ſcientiæ boni ac mali, contra expreſſam ac ſub comminatione mortis ſancitam legem, Evam ſeducente ſerpente, & Evâ Adamum quoque inducente. Hinc transgreſſio quoque Adami cum aliis peccatis vel *quoad generis*, vel *quoad ſpeciei* conceptum comparari poteſt: illam generalem, hanc ſpecialem ſimilitudinem iisdem terminis appellabimus. Quod *ad conceptum ſpeciei* attinet, nulli hodie poſſunt peccare ad ſimilitudinem transgreſſionis Adami, quoniam idem peccandi objectum & eædẽ circumſtantiæ hodiè nullis contingunt. Plurimi autem, imò omnes adulti peccant ad ſimilitudinem generalẽ transgreſſionis Adami, h. e. æquè actualibus ſe peccatis obſtringunt, licet circa diverſum objectum, & ſub diverſis circumſtantiis. Infantes verò ita non peccare ad ſimilitudinem transgreſſionis Adami, etiam patet, quoniam illi per ætatem, ob defectum uſûs rationis, peccata actualia nondum committunt. Itaq; cum Paulus Apoſtolus *Mortem*, ait, *etiam in eos regnaſſe, qui ad ſimilitudinem transgresſionis Adami non peccaverint*; putant ac docent noſtri Theologi, præeuntibus antiquis, ipſum infantes deſignare, quatenus non æquè actualibus ſe peccatis obſtringunt, ob defectum uſûs rationis.

§. 116. Vix huic interpretationi acquieſcent adverſarii. Cùm enim vulgò aliquid ad alterius ſimilitudinem fieri dicitur, id de omnimodâ ſimilitudine, quoad ſpecificam & genericam rationem, ferè intelligitur, niſi per con-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

textum nonnihil reſtringatur. Dicent itaque, Paulum quoque de perfectâ atque exactâ ſimilitudine loqui, qualis ſpeciei eſt, ita ut ſenſus ſit: *Mortem etiam in eos regnâſſe, qui non ad exactam ſimilitudinem ſpeciei transgreſſionis Adami peccaverint*, h. e. qui non circa idem objectum, non contra eandem legem, non ſub pari comminatione mortis, nec ſub iisdem aliis circumſtantiis peccaverint. Verùm huic expoſitioni videtur obſtare, quod nos hactenus tradidimus, in Adamo omnes virtuali voluntate idem peccâſſe, quod ipſe voluntate formali peccaverit. Huic enim conſequens eſſe videtur, omnino omnes ad exactam ſimilitudinem ſpeciei transgreſſionis Adami peccâſſe. Ego verò concedo, virtualem voluntatem poſterorum voluntati formali Adami objecto & circumſtantiis aliisq; omnibus eſſe ſimilem, præterquàm in eo uno, quòd hæc *formalis*, illa *virtualis* eſt voluntas, quæ maxima tamen eſt diſſimilitudo. Nam formalis voluntas eſt propriè dicta voluntas, quia actu eſt: virtualis verò pro eo tempore, quo adhuc virtualis, non eſt propriè dicta voluntas, quia non actu eſt, ſed poteſt eſſe.

§. 117. Ut ergo quis omnimodâ ſimilitudine transgreſſionis Adami peccare dicatur, non ſufficit, propoſitum eſſe ipſi idem peccandi objectum, & easdem circumſtantias, niſi etiam formali & expreſsâ voluntate circa eadem verſetur, ac idem actu peccet. Quod ſi ergò pari ſimilitudinis gradu exponendus eſt Apoſtolus, cùm ait, *mortem etiam in eos regnâſſe, qui non peccaverint ad ſimilitudinem transgreſſionis Adami;* non de infantibus ſolùm, ſed etiam de adultis loqui putandus eſt. Nulli enim poſterorum iſtum in modum ad ſimilitudinem transgreſſionis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

Adami peccârunt, h. e. nulli æquè expreſsâ & formali voluntate idem, quod Adam peccârunt, licet voluntate virtuali idem peccaſſe cenſeantur. Neque enim ἀσύστατα ſunt, omnes in Adamo voluntate virtuali idem cum ipſo peccâsſe, & tamen non peccâſſe ad ſimilitudinem ipſius, quatenus non æquè formali voluntate idem peccârunt.

§. 118. Cæterùm quando virtualem peccandi voluntatem poſterorum ſuprà per *conſenſum* expoſuimus: cùm pluribus modis alter alteri conſentiat, quæſierit quis ex nobis, quô conſenſûs modò ac genere Adamo peccanti poſteri virtualiter conſenſerint. Mutuus aliâs conſenſus eſt, quo ut ille huic, ita hîc illi conſentire dicitur. Hoc autem loco accipitur *conſenſus* ex parte ejus, *qui alteri priùs idem volenti, aut priùs idem facienti conſentit.* Hujusmodi eſt, qui præcipienti obtemperat, qui ſuadenti auſcultat, qui facientem imitatur, qui laudat, qui in partem lucri ejus venit, qui non prohibet facere, cùm poſſit ac debeat, qui facientem occultat, qui factum ejus reticet. Aliquo itaq; tali modo peccanti Adamo etiam poſteri conſenſerint neceſſum eſt, ſi virtualiter conſenſerunt. Neque enim aliter ad Adamum videntur comparari poſſe.

§. 119. Quanquam modum conſentiendi determinatè nemo novit, niſi qui voluntatem ac conſenſum virtualem poſterorum prænovit, ipſe Deus: Nullus tamen efficacior conſenſus, quàm imitatio eſt, & id maximè filiis frequens, ac familiare, ut patres ſuos in plerisq; imitentur. Probabile eſt igitur, ſi Adamo coexſtitiſſent poſteri, ipsũq; ut parentem, ut principem, fructu vetito veſcentem vidisſent, ſe idem factum fuiſſe imitaturos, atq; æquè de fructu

illo

illo comeſturos, præſertim cognitis iisdem veſcendi motivis, quæ Adamo vel Evæ propoſita fuerunt: multò magis, ſi primi parentes ad veſcendum dediſſent. Quod facturos fuiſſe non improbabile eſt: ſicut Eva Adamo dedit de fructu, ut comederet.

§. 120. Jam patet, quid reſpondendum Epiſcopio, quando loco ſuprà citato ait: *Impoſſibile eſt, ut quis in alio peccet, niſi accedat vel imperium, vel conſilium, vel conſenſus ſive tacitus ſive expreſſus, vel ſaltem (ut quidam volunt) ſceleris ſive peccati, quod ex lege ad judicem deſerri debet, conſcientia.* Scilicet diverſi modi voluntatis ſunt *imperium, conſilium, conſenſus, ſceleris conſcientia.* Modi autem voluntatis non minùs in *formales* & *virtuales* diſtinguuntur, quàm ipſa voluntas. Si Epiſcopius putat, ad id, ut quis peccare in alio dicatur, oportuiſſe formale imperium, vel formale conſilium, vel formalem conſenſum, vel formalem ſceleris conſcientiam intercesſiſſe: annuerim quidem ſtatuenti ſic de judicio *humano*: homo enim judex virtualem voluntatem aliorum non cognoſcit: nego autem id de Dei *judicio*, qui ut omnia, ita etiam virtualem peccandi voluntatem cognoſcit, & ad culpam non minùs, quàm formalem voluntatem imputat. Propterea ut verba vera ſint ſimpliciter, exponenda ſunt de omni, tam formali quàm virtuali imperio, conſilio, conſenſu. Ita autem nobis non obſtant. Etſi enim poſteri in Adamo non per conſenſum formalem peccârunt, conſenſu tamen virtuali à Deo præſcito eos peccâſſe, dictum a. ue oſtenſum eſt.

§. 121. In angelis lapſis non eſt locus diſtinctioni inter voluntatem *formalem* & *virtualem*. Prævidit quidem

quidem Deus, ab omni æternitate, ſi tales, & tali naturâ, cumq; libertate arbitrii olim angelos crearet, non ſtaturos in veritate, ſed ſuperbiâ caſuros. Quæ ita in æternitate divinitus præſcita angelorum peccandi voluntas nonniſi virtualis erat: Sed in tempore cum crearentur angeli, ea in formalem actualemq; peccandi voluntatem abiit, ut adeò tunc actu & formaliter peccaverint. Fuit etiam inter Principem angelorum lapſorum & alios aliqua conjunctio, ſed non talis, qualis inter Adamum & poſteros. Hîc enim fuit conjunctio naturalis virtualis, vi futuræ generationis, quâ factum eſt, ut in uno homine Adamo omnes poſteri, ſaltem per conſenſum virtualem, peccâſſe dicerentur. Non autem angelus de angelo eſt natus, ſicut de Adamo nati ſunt omnes poſteri: ſed ſi qua inter angelos lapſos fuit conjunctio, moralis fuit, qualis eſt in hominum ſocietate inter Principem & Subditos. Unde etiam in ſcriptura paſſim angeli lapſi à ſuo Principe & anteſignano diſtinguuntur. Princeps utplurimùm nomine *Diaboli* & *Satanæ* inducitur, & reliqui *ejus angeli* nuncupantur, ut Matth. XXV, 41. Apoc. XII, 9. Omitto nomen *Luciferi*, quod per allegoriam & ſimilitudinem cum Rege Babylonio tributum Diabolo eſt Eſa. XIV, 12. & nomen *Draconis*, quo idem cit. Apoc. XII, 7. nuncupatur. Maximè autem Principatûs nomen eſt, quòd *Deus hujus ſeculi* dicitur II. Cor. IV, 4.

§. 122. Nec improbabilis eſt eorum opinio, qui principatum Diaboli angelorum reliquorum ſubjectione circumſcribunt. Subjiciuntur enim Diabolo, ut cum DEO Opt. Max. ſervire noluerint, nunc creaturæ peſſimæ ac deterrimæ ſerviant, cujus nefanda eſt crudelitas ac

 tyran-

tyrannis. Cui ſi etiam ante lapſum ſuberant, conditi tamen erant in ipſius obſequium, ſalvo Dei ſupremo latriæ cultu & obſequio. Eo ipſo jam peccante, peccârunt etiam, qui erant ſubjecti: non autem in ipſo, ſicut in uno homine Adamo omnes poſteri, ſed ſinguli in ſeipſis peccârunt. Imò, inquies, peccârunt per conſenſum, ſive quòd ſui Principis Diaboli exemplo, ſive hortatu, ſive alio ipſius inſtinctu moverentur. Sit ita: non tamen propterea in ſuo Principe Diabolo, ſed in ſeipſis peccârunt. Quas enim ob cauſas in uno homine Adamo poſteros omnes peccâſſe dicimus, illæ in angelis lapſis deficiunt: tum quia non naſcendi erant de Principe ſuo Diabolo, ſicut poſteri de Adamo: tum quia omnes peccanti Diabolo coexſtiterunt, ut æquè cum ipſo formali voluntate peccare potuerint, & peccaverint: ſed formalem voluntatem in ſeipſis peccantium eſſe ſuprà monuimus, licet ad imitationem & exemplum alteriùs dirigatur. Fac verò, etiam poſteros generis humani unâ cum Adamo conditos, & in eodem ſtatu collocatos fuiſſe, ad eundem modum, quo omnes angeli idem ſuæ originis atque exiſtentiæ momentum habuerunt: factum crederemus, quod fieri omninò potuit, ut peccante Adamo, omnes per conſenſum formalem peccaſſent, ſive ſuaſu Adami, ſive exemplo, ſive alio ipſius motu ducerentur. Nunc verò cùm Deo non placuerit, ſimul cum Adamo omnes homines per extraordinariam potentiam creare, ſed eorum propagationem ac multiplicationem, ſecundum ordinem inſtitutnm, naturali generationi reſervare: quando tamen prævidit ante ſecula, quid facturi fuiſſent reliqui homines, ſi Adamo peccanti coexſtitiſſent: puta quod

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

quòd non minùs, quàm ipſe tunc, & ad ipſius exemplum peccaturi: neutiquam iniquè agit æquiſſimum Numen, tanti ipſorum virtualem peccandi voluntatem æſtimando, ut ob hanc eos non minùs, quàm Adamum ob formalem voluntatem, reos peccati pœnæq; æternæ obnoxios habeat.

§. 123. Hæc hactenus non ad fidem corroborandam propoſita eſt ſententia, quâ credimus, omnes in peccato eſſe conceptos & natos, ſed ad retundendos hæreticos & adverſarios, qui peccatum originis negant, atque impugnant. Nobis enim ad fidem ſatis eſt, in ſcriptura carentiam juſtitiæ originalis & connatam concupiſcentiam paſſim peccatum appellari, ob quod rei ſimus iræ Dei & æternæ damnationis. Cum verò pervicaces adverſarii omne peccatum propriâ voluntate voluntarium eſſe contendant, ne hoc ex capite peccatum originis evertatur, refert in promptu habere aliquem modum, quo etiam peccatum originis voluntarium propriâ voluntate dici poſſit. Hoc argumentandi genus κατ' ἄνθρωπον penetrantius atque efficacius eſt, quàm omnia argumenta, quibus noſtra ſententia confirmatur, quamdiu tuemur receptam hypotheſin, non repugnare, eſſe peccatum, & tamen non eſſe voluntarium voluntate propriâ. Hanc enim hypotheſin in iis ducunt adverſarii, quæ ſimpliciter fieri nequeant.

§. 124. Nititur autem iſta κατ' ἄνθρωπον demonſtratio tribus hypotheſibus, quas niſi concedant adverſarii, noſtrum eſt probare ac defendere. Una eſt, *Deum præſcire futura contingentia, non ea tantùm, quæ aliquando reverà ſunt futura, ſed & quæ futura ſunt ſub conditione, id eſt,*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

quæ futura eſſent vel fuiſſent, ſi hæc vel illa eſſet aut fuiſſet conditio.

Altera eſt, *Omnes homines ita peccaturos fuiſſe, ſicut Adam peccavit, ſi Adamo peccanti coexſtitiſſent, & in eodem cum ipſo ſtatu collocati, eadem peccandi motiva habuiſſent:* Et hanc ipſam eſſe virtualem poſterorum voluntatem.

Poſtrema eſt, *Deum virtualem peccandi voluntatem, vel quod eodem recidit, virtualiter voluntaria peccata non minùs ad culpam pœnamq; imputare, quàm quæ formali voluntate committuntur.*

§. 125. De præſcientia Dei magna quæſtionum apud Scholaſticos occurrit farrago, quæ plus ſubtilitatis, quâm utilitatis habent. Una ex præcipuis, & quæ ad inſtitutum cumprimis pertinet, eſt quæ apud Thomam pertractata legitur part. I. quæſt. XIV. art. XIII. An *ſcientia Dei ſit futurorum contingentium*, h. e. an Deus futura contingentia, non quocunque modo, ſed certò & infallibiliter præcognoſcat. Notat autem Vazquez in h. l. diſp. LXIV. quæſtionem eſſe intelligendam de iis *effectibus contingentibus, qui primò & proximè, aut ſaltem remotè ex libero pendent arbitrio*, videlicet hominis vel angeli. Negat Cicero lib. II. de divinatione diſputans cum Quinto fratre, cujus errorem refert Auguſtinus libr. V. de C. D. Cap. IX. Negat & Ariſtoteles libr. 1. de interpr. c. 8. quòd non ſit determinata futurorum contingentium veritas. Thomas verò, & qui ipſum ſequuntur, ſtatuunt, *Deum cognoſcere omnia contingentia, non ſolùm prout ſunt in ſuis cauſis, ſed etiam prout unumquodq; eorum eſt actu in ſeipſo.* Verba ſunt Thomæ loco citato. Variè autem hic diſputant Scholaſtici

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

ſtici, quomodo futura contingentia cadant ſub certam Dei ſcientiam, cum non ſint neceſſaria, nec ad unum determinata, ſed poſſint eſſe & non eſſe. Non interim tantam hæc res difficultatem habet, quantam ſcientia eorum, quæ non abſolutè futura ſunt, ſed ſub conditione. Narrante Vazquezio, *inter recentiores Scholaſticos ſunt, qui pro viribus defendant, nullam in Deo eſſe certam ſcientiam futurorum ſub conditione, ſed & nonnulli etiam arbitrantur, quam ſcriptura de his futuris Deo videtur tribuere, eſſe ſolùm conjecturam quandam.* Favere etiam huic ſententiæ videtur Auguſtinus, qui libro de anima & ejus origine ad Renatum ſcribit: *Quid? quòd ipſa exinanitur omnino præſcientia, ſi quod præſcitur, non erit? Quomodo enim rectè dicitur præſciri futurum, quod non eſt futurum?* Et libro de prædeſt. ſanctor. cap. XIV, ait: Dictum eſt enim (ſcilicet Sap. IV. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus) ſecundum pericula vitæ hujus, non ſecundum præſcientiam Dei, qui hoc præſcivit, quod futurum erat; non quod futurum non erat.*

§. 126. Verùm Vazquez etiam eorum, quæ ſub conditione futura dicimus, certam in Deo collocat ſcientiam, probatq; primùm ex *Scriptura Sacra*, deinde ex *autoritate Patrum*, denique *ex ratione* diſp. LXVII. Cap. 2. & 3. Idem ſentiunt alii Scholaſtici, ut Suarez lib. II. de ſcientia in opuſcul. cap. 1. & 2. Greg. de Valentiâ. qu. XIV. punct. V. Fonſeca in libr. VI. Metaph. cap. II. qu. IV. ſect. IX. Becan. part. I. Theol. Schol. Cap. X. qu. V. & alii. Neq; à Scholaſticis abeũt noſtri Theologi, ſed præſcientiam eorum, quæ futura ſunt ſub conditione, pluribus ſcripturæ teſtimoniis confirmant. Conſuluit David Deum, an ſi maneret in civitate Ceilæ, deſcenſurus eſſet Saul, & in hujus manus ſe

tradituri urbis incolæ. Reſpondit Dei oraculum; *Deſcendet Saul; & tradent viri Ceilæ.* Non hìc quocunq; modo, ſed certò prænovit Deus, quid futurum, Si David in urbe maneret: propterea Rex maturè aufugit, ut legere eſt I. Sam. XXIII, 11, & 12. Huic geminus eſt locus Matth. XI, 21. & Luc. X, 13. *Væ tibi Korazin, væ tibi Bethſaida* &c. quem ſuprà allegavimus. Pro confirmanda hac ſententia, plura ex Scriptura, aliqua etiam ex ratione adduci poſſent: ſed cum ea confeſſæ apud omnes veritatis ſit, quid attinet immorari? Præſertim quando & illi qui negant vel impugnant peccatum originis, præſcientiam futurorum ſub conditione concedere videntur.

§. 127. Quantum ad locum Auguſtini attinet, ex contextu liquet, non negare ipſum præſcientiam Dei ſimpliciter, eorum contingentium, quæ futura erant ſub conditione, ſed quatenus Pelagiani eâ ad palliandum errorem ſuum abutebantur. Statuebant, parvulos ſine baptismate morientes puniri ob delicta, quæ prævidit Deus eſſe commiſſuros, ſi diutiùs ſupereſſent. Regeſſit Auguſtinus, Deum neſcire hujusmodi parvulorum merita, id eſt, vim eorum meritoriam neſcire, quòd merita propriè dicta non ſint, niſi quæ reverà ſunt futura. Ita Auguſtinum explicat Vazquez loc. cit. Cujus hæc ſunt verba: *Ad teſtimonium Auguſtini reſpondeo, eum contra Maſſilienſes* (Semipelagianos) *ſolùm contendere, nulla fuiſſe futura merita parvulorum, qui præmaturè rapiantur, à Deo præviſa, propter quæ Deus illis baptisma conceſſerit vel negaverit: intelligit autem merita abſolutè futura, non ſub conditione: eò quòd, ſi Deus abſolutè & de facto negavit baptisma, negavit propter merita abſolutè, non propter merita ſub conditione futura.*

tura. Nam merita ſub conditione, non ſunt verè dicenda merita, propter quæ aut præmium, aut pœnam aliquis conſequatur. Quanquam hæc explicatio hypotheſi noſtræ tertiæ adverſari videtur, ob difficultatem, quàm infrà enodabimus. Confer interim Auguſtinum lib. de corrept. & grat. Cap. VIII. item libr. II. de nupt. & concupiſc. Cap. XVI. Et libr. de grat. & liber. arbitr. cap. XXIII.

§. 128. Altera hypotheſis probatu difficilior eſt, quæ tamen præſcientiæ Dei fundamentum eſt. Nempe non facit objectum ſuum præſcientia, ſed præſupponit. Non, inquam, ideò aliquid eſt futurum, quia Deus præſcit: ſed potiùs contrà quia aliquid futurum eſt, ideò præſcit Deus. Quod non modò ita comparatum de abſolutè futuris, ſed etiam de futuris ſub conditione. Quia ſcilicet futurum aliquid eſt ſub conditione, ideò Deus præſcit futurum ſub illâ conditione. Prius igitur eſt in ſigno rationis, eſſe futurum aliquid, quàm à Deo præſciri. Niſi enim eſſet futurum, à Deo non præſciretur. Ergo ſi prævidit Deus, poſteros Adami parenti ſuo coexiſtentes fuisſe æquè peccaturos; ideò prævidit, quia reverà erant peccaturi ſub conditione coexiſtentiæ. Sed unde tandem probatur, & quomodo non temerè creditur, tale quid de poſteris Adami ſub dicta conditione fuiſſe futurum? Quid? ſi quis opponeret, non eos quantumvis Adamo coexiſtentes æquè fuiſſe peccaturos: quomodo occurremus? an quòd tale quid in ſcriptura nusquam legatur. Sed nec alterum illud, quod nos affirmamus, in ſcriptura usquam legitur. Et ita ſanè eſt: nihil temerè fingendum eſt eſſe futurum, tacente ſcripturâ. Davidem tradituri erant Ceilenſes, ſi in urbe manſiſſet. Hoc non crediſſet

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

diſſet David futurum, niſi Deus prædixiſſet. Nusquam autem in Scriptura legitur, quid facturi fuiſſent poſteri Adami, ſi patri ſuo coexſtitiſſent; obtemperaturi ne legi Dei, an etiam peccaturi? Ita adverſarius quis nobis opponat.

§. 129. Parata verò eſt reſponſio, licet conceptis verbis in Scriptura nusquam legatur, poſteros æquè fuiſſe peccaturos, ſi Adamo peccanti coexſtitiſſent; tamen id per conſequentiam ex propoſitione D. Pauli, & hypotheſibus adverſariorum rectè inferri. Propoſitio Pauli eſt, *in Adamo omnes peccâſſe*. Hypotheſes adverſariorum ſunt; primùm Paulum loqui de peccato *actuali*; Deinde peccatum omne actuale per eſſentiam eſſe *voluntarium voluntate propriâ*. Accedit his noſtra quoque hypotheſis, omnem voluntatem propriam vel *formalem* vel *virtualem* eſſe; quam non poſſunt negare adverſarii; aut ſi negent, nos probabimus, imò videmur ſuprà tantum dixiſſe, quantum ad probationem videri poſſit ſufficere. Huic diſtinctioni connexa eſt altera, voluntatem virtualem vel eſſe *abſolutè futuram*, vel *ſub conditione*. Ex his jam ita licet argumentari: Si omnes homines in Adamo peccarunt voluntate propriâ, aut peccârunt voluntate formali, aut voluntate virtuali. Non autem peccârunt voluntate formali, quia voluntas formalis non niſi exiſtentium eſt, ſed poſteri Adamo non coexſtiterunt. Ergo peccârunt voluntate virtuali. Rurſus voluntas virtualis vel eſt abſolutè futura, vel ſub conditione. Poſteri in Adamo non peccârunt voluntate virtuali abſolutè futura, quoniam ipſorum voluntas nunquam in rem abiit. Ergo peccârunt voluntate virtuali futurâ ſub conditione. Conditio ponitur coexiſtentiæ cum Adamo, & ſimilis cum i-

pſe

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

ipſo ſtatûs. Jam virtualis poſterorum voluntas, quatenus eâ conditione nititur, in eo conſiſtit, quòd æquè peccaturi fuiſſent poſteri Adami, ſi ipſi in eodem ſtatu coexſtitiſſent. Itaque in Adamo omnes peccâſſe virtuali voluntate, idem eſt, quod omnes æquè peccaturos fuiſſe, ſi patri ſuo coexſtitiſſent.

§. 130. Cæterùm ut una atque altera partim inſtantia, partim ambiguitas tollatur: aliqua peculiariter hîc notanda ſunt. Et primùm quidem id certum eſt, abſolutè & propriè verbum peccandi de *peccato actuali* accipi, quatenus formaliter voluntarium eſt, quale Adami peccatum erat. Cui notioni vocis & hîc erat inhærendum, ſi propoſitionis Paulinæ veritas pateretur. At neque per naturam neque ullo pacto fieri potuit, ut qui non erant, peccante Adamo, formali voluntate, ſicut ipſe peccarent. Peccant formali voluntate, qui jam exiſtunt, poſteri, ſed non in Adamo. Neque qui jam exiſtunt, ſunt omnes poſteri, ſed omnium appellatione intelliguntur, *qui ſunt, fuerunt & futuri ſunt*. Hos, inquam, omnes in Adamo peccâſſe, aut falſum eſt, aut aliter quàm de peccato formaliter voluntario accipiendum eſt.

§. 131. Deinde notamus, peccatum actuale hîc non dici, quod actu patratur: alioquin tantùm peccatum commiſſionis eâ voce intelligeretur; Sed accipi in oppoſitione vel contradiſtinctione ad peccatum originis: quâ ſignificatione & peccatum commiſſionis & omiſſionis, & quod nobis virtualiter voluntarium dictum eſt, complectitur. Propter analogiam enim, quâ virtualis voluntas ad voluntatem formalem comparatur, fit, ut etiam in modum peccati actualis concipiatur,

O quod

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

quod virtualiter voluntarium eſt, quatenus quidvis potiùs aliud, quàm peccatum originis eſt.

§ 132. Præterea accuratè velimus dignoſci inter denominationem *Phyſicam* & *moralem*. Denominatio phyſica à forma ducitur, quæ reapſe ineſt, quâ Adamum peccâſſe dicimus, cùm de fructu vetito comedit. Denominatio autem moralis à durante reatu, culpâ vel merito ducitur. Aliquando oritur ex actuali & formaliter voluntario facto, quod ſtatim atque in rem abierat, eſſe deſiit: neque adeò niſi morali denominatione, quoad ſcilicet culpā & reatum, ſupereſſe dicitur. Ita Adam fuit reus culpæ & iræ Dei æternæq; damnationis, etiam poſtquam ipſius peccatum actuale exſpiraverat. Aliquando verò ex futuro facto anticipatur, ſive abſolutè futuro, ſive ſub conditione. Hujusmodi moralis denominatio eſt, quâ Chriſtum dicimus Patres in V. T. redemiſſe ac ſalvâſſe, cujus fundamentum eſt meritum Chriſti anticipatum. Quantum autem ad præſens attinet, à *reatu anticipato* ducitur denominatio, qua in Adamo omnes poſteros peccâſſe dicimus; qui ſunt, fuerunt & futuri ſunt. Rei enim peccati ſunt, antequam impleverunt virtualem peccandi voluntatem, quam Deus prævidit in ipſis futuram ſub conditione, imò licet nunquam impleturi, ob negatam conditionem.

§. 133. Denique utrum Phyſica an moralis ſit denominatio, non ex ſignificatione Grammaticâ verborum & vocum, ſed ex *intentione & voluntate dicentis* æſtimandum eſt. Ita quod Paulus dicit, in Adamo omnes *peccaſſe*, grammaticè multùm differt ab eo, per quod nos exponimus, omnes in Adamo *peccaturos fuiſſe*, ſi ipſi *coexſtitiſſent*.

Illud

Illud enim ſignificat peccatum cũ circumſtantia temporis præteriti; hoc cum circumſtantia temporis futuri, & ſub conditione. Verùm ex intentione & voluntate Apoſtoli denominatio non Phyſica, ſed moralis eſt, qua in Adamo omnes peccâſſe ait. Non tribuit poſteris peccatum aliquod formaliter voluntarium, quale erat Adami peccatum, quoniam ſic non potuerunt peccare, cùm non dum exſtitiſſent; ſed reatum & culpam anticipatam ex virtuali voluntate, eaq; non abſolutè, ſed ſub conditione futurâ imputat. Eatenus rectè dicuntur in Adamo peccâſſe, qui æquè cum ipſo peccaturi erant, ſi ipſi coexſtitiſſent: puta quia tam rei ſunt peccati, quàm ſi Phyſicè & actu idem cum Adamo peccatum commiſiſſent. Idem etiam utriusque denominationis fundamentum eſt, licet proxima denominandi ratio ſit diverſa. Nempe ſub verbo temporis futuri denominatio ducitur à virtuali voluntate, quatenus eſt res futura ſub conditione; & ſub verbo temporis præteriti, ſumitur ab anticipato reatu ex virtuali voluntate. Itaq; poſteri Adami à virtuali voluntate non peccâſſe, ſed peccaturi fuiſſe, ſub conditione; quemadmodum à reatu anticipato non peccaturi, ſed peccâſſe in Adamo dicuntur ac denominantur. Unum autem idemque eſt virtualis voluntas, & ejus reatus, & eatenus idem utriusque denominationis fundamentum eſt, ſive ſub verbo præteriti, ſive futuri temporis inſtituatur: ut adeò hactenus pro æquipollentibus meritò habeantur.

§.134. Sed nec poſtrema hypotheſis difficultate caret. Mitto tritum argumentum; voluntatem virtualem non eſſe veram ac propriè dictam voluntatem, nec futuram, niſi ſub conditione; imò nec conditionem, & per

conſequens nec ipſam unquam futuram. Ex hoc enim id ſolùm efficitur, phyſicè nullam virtualis voluntatis vim & efficaciam eſſe. Quod res ipſa docet. Verùm hîc nobis non de virtute Phyſica, ſed de morali quadam efficacia quæſtio eſt. Quæritur, inquam, an virtualis peccandi voluntas poſterorum non minùs reatum in Dei foro, quàm formalis peccandi voluntas Adami afferat.

§. 135. Non ea quidem quæſtio mota fuit apud veteres, ſed ſimilis tamen diſceptata inter Pelagianos & Auguſtinum, an morientibus ſine baptismo parvulis imputentur delicta, quæ commiſſuri erant, ſi diutiùs vixiſſent. Affirmabant Pelagiani, quòd *præſciviſſet Deus, ſi ad ætatem perveniſſent, in qua libero uterentur arbitrio, malè fuiſſe victuros.* His oppoſuit ſe Auguſtinus, negavitq; Deum ullos punire ab delicta, quæ non commiſerunt, commiſſuri licet fuiſſent, ſi diutiùs vixiſſent. Argumentum inter alia ducit à loco Sap. IV. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.* Præſupponit auctor, Deum prævidiſſe, hunc vel illum ſanctum fuiſſe ſic vel aliter peccaturum, ſi diutiùs vixiſſet. Ab hoc peccandi periculo docet ipſum liberari per præmaturam mortem, quod efficaci argumento eſt, præſcitum peccatum ſub conditione non imputari. Nam ſi quoque imputaretur, præmatura mors non eſſet beneficium ac medium evadendi damnationem. In hanc ſententiam conſpirant multa S. Auguſtini dicta. Libro I. de anima & ejus origine ad Renatum Cap. XII. ſcribit: *Si peccata, quæ ſi homo viveret, commiſſurus eſſet, etiam non commiſſa damnantur in mortuo, nullum beneficium collatum eſt illi, qui raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus: quandoquidem*

judicabitur, ſecundum eam, quæ in illo erat futura, malitiam; non ſecundum eam, quæ in illo inventa eſt, innocentiam. Inſuper unum atque alterum abſurdum ex Pelagianorum ſententiâ concludit. *Quantò enim meliùs,* inquit, *Si peccata nondum facta, nondum cogitata, ſed præcognita & futura puniuntur, projicerentur illi duo de Paradiſo ante peccatum, ne in loco tam ſancto & beatifico peccarent? Quid? quod ipſa exinanitur omninò præſcientia, ſi quod præſcitur, non erit? Quomodo enim rectè dicitur præſciri futurum, quod non eſt futurum? Quomodo ergo puniuntur peccata, quæ nulla ſunt, id eſt, quæ nec vita iſta nondum incipiente commiſſa ſunt ante carnem, nec morte præveniente poſt carnem?* His gemina tradit libro de prædeſtinatione ſanctorum, cap. XIV. *Sed quid prodeſt* (ſcil. mors immatura) *ſi etiam futura, quæ commiſſa non ſunt, peccata puniuntur?* Allegat pro ſe Cyprianum de mortalitate, & ſubinde ad dictum Sapientiæ provocat. Confer de dono perſeverantiæ cap. IX. & XI.

§. 136. Nos æquè cum Auguſtino improbamus ac deteſtamur Pelagianorum ſententiam, quam ex hypotheſibus falſis & hæreticis deducunt. Commune ipſis eſt, *gratiam ſecundum merita noſtra dari.* Huic proximum eſt alterum, parvulos nullum proprium, ne originale quidem peccatum habere. Objiciebat Auguſtinus, parvulos non baptizatos puniri; non autem puniendos eſſe, niſi proprium peccatum haberent. Reſponderunt, qui erant ex ſecta Pelagii, non puniri ob proprium delictum, quod jam actu habeant, ſed ſecundum præviſa futura merita, puta quòd prævidiſſet Deus, ſi diutiùs ſupereſſent, malè eſſe acturos. In hac refellenda ſententiâ jure me-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

ritoquè vehemens & concitatus eſt Auguſtinus, non tam ſecundũ ſe eam conſiderans, quàm ad hypotheſin hæreticam reſpiciens, quâ parvuli ab omni etiam originali peccato abſolvuntur. *Si enim*, inquit, *judicarentur homines pro meritis ſuæ vitæ, quæ non habuerunt morte præventi, ſed habituri eſſent, ſi viverent: nihil prodeſſet ei, qui raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus: nihil prodeſſet eis, qui lapſi moriuntur, ſi antè morerentur: quod nullus dicere Chriſtianus audebit.* Ita ſcribit libro de Prædeſtinatione ſanctorum ad Proſperum & Hilarium Cap. XIV. Ubi paucis interjectis ſubjicit: *Non dico crediturum, ſed ſomniaturum neminem putaremus, ſecundum ea judicari quenquam mortuorum, quæ geſturus fuerat, ſi tempore prolixiore vixiſſet.* Hactenus nos & cum Auguſtino ſentimus, & à Pelagianis quàm longiſſimè abimus.

§. 137. Ne verò contradicere nobis videatur S. Eccleſiæ Doctor, diſtinguendi & præ oculis habendi ſunt diverſi hominis ſtatus. Alia eſt ratio ejus, *poſt lapſum*, alia *ante lapſum*. Poſt lapſum jam homo ſupponitur peccato corruptus, quanquam eò etiam diverſiſſimam conditionem ſuſtinet, quòd credit alius in Chriſtum, ad finem vitæ, alius in impœnitentiâ & incredulitate decedit. Ante lapſum verò ſupponitur homo integer, & ad Dei imaginem factus, in juſtitia & ſanctitate. Quali in ſtatu etſi formaliter ſoli protoplaſti fuerunt; conſiderantes tamen, quid ex præviſione Dei, facturi fuiſſent poſteri, ſi in eodem ſtatu cum Protoplaſtis extitiſſent, fuiſſe ipſos in eodem ſtatu ſaltem mente fingimus, & ſub conditione quadam ita ponimus. Jam quando quæritur, utrum hominibus ad culpam ac reatum imputetur virtualis peccandi volun-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

voluntas, non idem pronunciandum de ipſis ante lapſum, quod poſt lapſum. Differentia enim lata ducitur à diverſis Dei pactis, quæ ἀνθρωποπαθῶς loquendo cum hominibus inivit, quorum unum pactum legale, alterum Evangelicum eſt.

§. 138. Ante lapſum obtinebat pactum legale, in ſummâ illa perfectione, ad quam primus homo erat conditus. Præterquàm enim quòd perfectam habuit legis cognitionem, inſuper vires ad exactè implendam legem ſufficientiſſimas acceperat, vi concreatæ imaginis Divinæ. Obligatus igitur erat non modò ad rigoroſam obedientiam, ſed etiam ad perſeverantiam & conſtantiam perpetuam. Non, inquam, voluit Deus, ut aliquando, aut ad tempus homo ſanctè & inculpatè viveret, ſed ut ſemper: ſin verò ſemper; etiam ut in futurum, & ſub conditione ſuperſtitis vitæ. Si neſciret Deus futura contingentia, crederes, vi pacti legalis vitam futuram non attendi: nunc verò cum omnia futura, etiam quæ non niſi ſub conditione futura ſunt, tàm Deo objectivè ſint præſentia, quàm ſi reverà exiſterent: utique ad complementum pacti legalis, in Dei judicio, vita futura æſtimatur. Neque adeò putandus eſt legi ſatisfeciſſe, qui ſanctus moritur, niſi ſub conditione longioris vitæ voluiſſet in ſanctitate perſiſtere. Neque gloriari de juſtitia legis poteſt, qui cavet ſibi à peccato ad finem vitæ, ſi ſciat Deus prævaricaturum eſſe, vitâ prorogatâ. Ita pactum legale videmus exactè adimpletum in bonis angelis, ſed non æquè in protoplaſtis noſtris. Angeli boni non aliquando, & ad tempus, ſed ſemper boni ſanctiq; fuerunt, & adhuc ſunt, eruntq; in omnem æternitatem. Eſto, eos per Dei potentiam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

tiam fuiſſe ſublatos, aut adhuc auferri: ſancti tamen ſunt etiam in futurum, ſecundum præſcientiam Dei, ſaltem ſub conditione ſuperſtitis vitæ. Contrà protoplaſti noſtri aliquando & aliquandiu quidem à creatione fuerunt boni, ſed in bonitate non perſtiterunt. Fac, fuiſſe ſublatos, antequam peccarent: rei tamen erant violati pacti legalis, intuitu futuræ malæ voluntatis, ſecundum præſcientiam Dei, ſub conditione productioris vitæ. Quod ſi poſteri in eodem ſtatu fuiſſent conditi, Deus ab ipſis eandem, quàm à protoplaſtis, & æquè exactam obedientiam popoſciſſet: ſed prævidit Deus, ipſos eſſe prævaricaturos, & arbitrii ad bonum conditi libertate abuſuros, ſi coexſtitiſſent. Non ergo injuſtum erat, ſed rigori pacti legalis conſentaneum, imputare virtualem peccandi voluntatem his, quos Dei præſcientia tam reos peragit, quàm ſi actu & formaliter peccâſſent. Atque is quidem fuit ſtatus hominis ante lapſum, ſub rigore pacti legalis.

§. 139. Poſt lapſum Deus homines neque ſalvat neque damnat ſecundum futura merita, quæ quidem ſolùm ſub conditione futura ſunt, ſed præſentem cujusque ſtatum & conditionem attendit. Et eſt hæc doctrina Apoſtoli II. Cor. V, 10. *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unusquisq;, ſecundum quæ in corpore geſſit, ſive bonum ſive malum.* Confer Rom. II, 6. & Matth. XVI, 27. Adhuc quidem etiam poſt lapſum obligatus eſt homo ad exactam pacti legalis obſervationem: ſed cum adimplere non poſſit, habet medicinam, ſi vult amplecti, præſentiſſimam in pacto evangelico, contra legis rigorē. Sin verò ſpernit promiſſiones pacti evangelici, manet

ſub

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

ſub pacto legali, & ex hujus rigore judicatur. Atque adeo poſt lapſum quoque non idem eſt hominum ſtatus, quatenus ſunt ſub pacto evangelico, & quatenus ſub pacto legali.

§. 140. Summa pacti evangelici eſt, promiſſionibus de remiſſione peccatorum per & propter Chriſtum impetrandâ credere, & fidem per charitatem demonſtrare, atque in ea ad finem vitæ perſiſtere. Qui ita ſunt animo affecti, his non imputantur conjuncti defectus, quantumvis pugnantes cum lege primæva, ſed ob fidem ac deprecationem humilimam condonantur. Quid ergò mirum, ſi Deus his quoque condonat prævïſam virtualem peccandi voluntatem? imò ſi tollit ex hac vita, ne actu aliquando incurrant illam peccandi voluntatem, quàm incurſuri eſſent, ſi vita ipſis prorogaretur? Quò collimat illud Sap. IV. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus.*

§. 141. Sunt impii ſub pacto legali, quatenus non credunt promiſſionibus, ſed in impœnitentia & incredulitate decedunt. Horum alios prævidit Deus magis ac magis peccaturos, ac ſceleratiores futuros, ſi diutiùs ſuperessent; alios verò pœnitentiam acturos. Qui prioris ſunt generis, his ſi Deus ex rigore legis virtualem peccandi voluntatem imputaret, numquid injuſtè faceret? Quicquid enim boni ex tenore legis primævæ: & vi imaginis divinæ facere poterant ac debebant, id cum non faciunt hodiè, quia facere poſt lapſum nequeunt, eo nomine prævaricari judicantur. Hoc pacto quidnî Deus etiam futuram malitiam, non quantumvis abſolutè, ſed ſub conditione longioris vitæ futuram, impiis imputet? quoniam

P &illa

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

& illa pugnat cum lege primæva, & juſtitiæ originali adverſatur? Cauſam quidem damnationis, absque actuali incredulitate atque impœnitentia eſſet, nemo eam diceret: nunc verò cum impii jam antè per infidelitatem ſuam damnati ſint, ſed gradus pœnarum habeantur, quidni ob præviſam futuram malitiam majorem, ſub conditione licet futuram, ipſis aggravetur pœna? Imò certum eſt, ob præviſam futuram malitiam impiis alia Dei beneficia in pœnam negari. Ita aliquos populos deſtituit Deus prædicatione evangelii, quòd prævidit, hoc beneficium ingratè & præfractè eſſe repudiaturos, ſi vel maximè accepiſſent. Ab iſtis autem infidelibus & impiis ad veros fideles non V. C. Non, inquam, ſequitur: Infidelibus & Impiis imputatur futura malitia, vel ad augendam pœnam, vel ad ſubtrahenda Dei beneficia: Ergo & veris fidelibus ad tale quid imputatur. Illi enim ex rigore pacti legalis judicantur; hi, ex promisſionibus pacti evangelici. Hi fidem habent, quâ placent Deo, & ut aliorum defectuum, ſic futuræ etiam voluntatis malæ remiſſionem conſequuntur: illi nihil tale habent, ſed præcisè ſunt ſub lege, & ſub maledicto legis.

§. 142. Qui verò posterioris generis ſunt impii, id eſt, quos morte præventos prævidit Deus fuiſſe pœnitentiam acturos, ſi diutiùs vixiſſent: his non imputat quidem Deus virtualem pœnitendi voluntatem, ad converſionem & ſalutem. Ratio ſuperiùs eſt inſinuata: quia poſt lapſum Deus in decernenda ſalute vel damnatione non futura merita, ſed cujusque præſentem ſtatum & conditionem attendit. Non reperit Deus in ipſis pro præſenti tempore fidem, quâ unâ ſalvari poterant: Ergo ob virtualem pœnitendi credendiq; voluntatem eos non ſalvat.

vat. Interim minuendæ pœnæ quin virtualis illa pœnitendi voluntas cauſa eſſe poſſit, nemo temerè negabit. Ita Tyriis & Sidoniis promiſit Servator tolerabiliorem conditionem ex prævisâ virtuali pœnitendi voluntate, puta quòd *pœnitentiam acturi fuiſſent in cilicio & cinere*, ſi apud ipſos facta eſſent miracula, quæ in urbibus Corazin & Bethſaidan facta ſunt.

§. 143. Patet ex his, neque nos accedere Pelagianorum ſententiæ, neque diſſentire ab Auguſtino, cum poſteros virtuali voluntate in Adamo peccâſſe καṫ' ἄνθρωπον diſputamus. Pelagiani enim poſteros, & nominatim parvulos, quos â peccatis actualibus immunes eſſe conſtat, etiam ab originali peccato liberatos volebant: parvulos autem dicebant mori baptismo in pœnam deſtitutos, quòd Deus virtualem eorum peccandi ac malè agendi voluntatem prævidiſſet. Quem errorem nos meritò etiam atque etiam rejicimus, & vehementer deteſtamur. Primùm enim ſupponimus, poſteros omnes, ſine ætatis diſcrimine, adeoque & infantes juſtitiâ originali carere, & eatenus naturâ filios iræ eſſe, ac reos æternæ damnationis. Id autem quomodo defendi poſſit contra adverſarios, qui peccatum originis non voluntarium, adeoq; nec peccatum eſſe objiciunt, præcipua nobis cura eſt. Deinde Auguſtinus quoq; cũ negat, virtualem peccandi voluntatem imputari, non reſpicit ad primigenium illum ſtatum, in quo primi parentes erant conditi; multò minùs conſiderat, quid ex præviſione Dei facturi fuiſſent poſteri, ſi in eodẽ ſtatu coexſtitiſſent: Sed de ſtatu hominum poſt lapſum differit. Non inquirit, quid debuiſſent facere poſteri, quatenus ad imaginem Dei facti, & ſub rigore pacti legalis conſtituti concipiuntur, ſed quid ſtatuat Deus de præviſis futuris ho-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

minum meritis, poſtquam peccato corrupti ſupponuntur.

§. 144. Principaliter quidẽ contra Pelagianos diſputat, morientes parvulos non puniri ob delicta, quæ cõmiſſuri erant, ſi rationis uſui ſupervixiſſent. Verùm huic tuendæ theſi adſpergit, ſanctis ac fidelibus non imputari virtualem peccandi voluntatem, & ſubinde ingeminat dictum ſapientiæ Cap. IV. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.* Quia nimirum hìc pro beneficio laudatur, per immaturam mortem peccandi illecebris ſubtrahi, utique rectè concludit Auguſtinus, virtualem peccandi voluntatem non imputari. Si enim & illa imputaretur, per citam mortem non eriperetur ſanctus, adeoque nec beneficium in mortis celeritate ullum haberet. Quanquam à ſanctis & fidelibus ad morientes ſine baptismo parvulos non videtur valere conſequentia. Nam in illis actu eſt aliquid, ob quod placeant Deo, & remiſſionem futuræ voluntatis malæ conſequantur, quod fidem eſſe diximus. In his verò tale quid non eſt, quatenus ſine baptismate mori concipiuntur. Ut ergo procedat conſequentia, hoc tantùm videtur docere velle Auguſtinus, Deum nec ſalvare nec damnare homines, pro futuris meritis, ſed pro præſenti cujusq; ſtatu & conditione. In quem ſenſum allegat illud Apoſtoli II Cor. V, 10. Factaq; ad parvulos applicatione, qui ſine baptismo moriuntur, non eos docet puniri ob futurã malitiam, quâ implicarentur, ſi viverent, ſed ob peccatum originis, quod jam morientes actu & formaliter habent.

§. 145. Quin autem virtualis benè vel malè agendi voluntas ad augendam vel minuendam damnatorum pœnam, vel ad ſubtrahenda Dei beneficia, vel ad

ſim-

ſimilem effectum aliquid conferre poſſit, non ſimpliciter negavit exquiſiti Scriptor judicii. Quin imò contrarium ipſe docet de Tiriis & Sidoniis, ex verbis Chriſti Luc. X. Concedit, prævìſam virtualem pœnitendi voluntatem, eſſe ipſis cauſam minuendæ pœnæ, in die extremi judicii, quod diſertè ait Servator: Sed negat, eſſe ob illam virtualem voluntatem à pœna damnationis planè liberandos. libr. de dono perſeverantiæ cap. IX. *Si etiam*, inquit, *ſecundum facta, quæ facturi eſſent, ſi viverent, mortui judicantur: profectò quia fideles futuri erant iſti* (Tirii & Sidonii) *ſi eis cum tantis miraculis fuiſſet evangelium prædicatum, non ſunt utiq; puniendi: punientur autem: falſum eſt igitur, & ſecundum ea mortuos judicari, quæ facturi eſſent, ſi ad eos viventes evangelium perveniret.* Quod quomodo ad parvulos ſine baptiſmate morientes applicet, ſequentia ipſius verba oculis ingerunt. *Et ſi hoc falſum eſt* (puta quod Tirii & Sidonii per virtualem pœnitendi voluntatem à pœna liberentur) *non eſt cur dicatur de infantibus, qui pereunt ſine baptiſmate morientes, hoc in eis eò meritô fieri, quia præſcivit eos Deus, ſi viverent, prædicatumqe illis fuiſſet evangelium, infideliter audituros. Reſtat igitur, ut ſolo peccato originali teneantur obſtricti, & propter hoc ſolùm eant in damnationem: quoniam videmus aliis eandem habentibus cauſam, non niſi per Dei gratuitam gratiam regenerationem donari: & ejus occulto, juſto tamen judicio, quoniam non eſt iniquitas apud Deum, quosdam etiam poſt baptiſmum peſſimè vivendo perituros: in hac tamen vita quousque pereant, detineri: qui non perirent, ſi eis corporis mors lapſum eorum præveniens ſubveniret: quoniam nullus mortuus judicatur ex bonis ſeu malis, quæ fuerat ſi non moreretur acturus: alioquin Tirii & Sidonii, non*

ſecundum ea quæ geſſerunt, pœnas luerent: ſed potius ſecundum ea quæ geſturi fuerant, ſi in eis illæ virtutes Evangelicæ factæ fuiſſent, per grandem pœnitentiam, & per Chriſti fidem conſequerentur ſalutem.

§. 146. Quomodo expoſuimus Auguſtinum, ita etiam accipiendus eſt Vazquez, ubi in Auguſtini verba ſic commentatur: *Nam merita ſub conditione non ſunt verè dicenda merita, propter quæ aut præmium aut pœnam aliquis conſequatur. Quis enim dicat, aliquem de facto meruiſſe præmium aut pœnam, quam habet, quia ſi hanc aut illam occaſionem præ manibus habuiſſet, benè aut malè operatus fuiſſet? Certè iſta merita conficta eſſe, nemo dubitet: quoniam ſi retributio abſoluta eſt, meritum etiam eſſe debet. Quod enim reverà futurum non eſt, quo pacto ad præmium aut pœnam poteſt imputari?* Quod quomodo & quouſque præcisè de hominibus poſt lapſum valeat, neque ad protoplaſtos in ſtatu integritatis ſpectatos extendi, neque ad poſteros, quatenus in eodem ſtatu finguntur fuiſſe, applicari debeat, ex dictis puto manifeſtum eſt adeò, ut res uberiore declaratione non indigeat.

Errata.

§. 39. lin. retrò pro *peccaro* lege *peccato*. §. 40. lin. 3. pro *formalitet* lege *formaliter*. §. 50. lin. 6. pro *inferiori*; lege *inferior*. §. 57. lin. 1. pro *vetum* lege *verùm*. §. 60. lin ult. pro *autemut* lege *autem, ut* §. 71. lin. 6. neſcio quâ incuriâ irrepſit accuſativus *comminationem*; ſubſtituenda eſt ejusdem casûs vox *obedientiam*. Ibidem omiſſa eſt præpoſitio *Sub* ante ablativum *promisſione*, legendumq; adeò eſt *ſub promisſione*. §. 103. lin. 21. pro *Etſi* lege *Et ſi*.

Reliqua errata cordatus Lector, nobis non monentibus, facilè emendabit.

Corol-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

Corollaria homogenea.

De

Peccato originis & actuali.

1. An detur peccatum originis? Affirmatur, contra Pelagianos, Socinianos, Anabaptiſtas & quosdam Remonſtrantes, nominatim contra Epiſcopium, Curcellæum & alios.

2. An detur peccatum originis tantùm quoad materiale, & quod non ſit formaliter peccatum? Negatur contra Zvvinglium & alios, qui peccatum originis nimiùm extenuant.

3. An peccatum originis ſit voluntarium? Affirmatur, ſed certo & ſano ſenſu, ut obnitentibus adverſariis occurratur.

4. An peccatum originis nihil aliud ſit, quam imputatio peccati actualis Adami? Negatur contra Albertum Piggium & Ambroſium Catharinum.

5. An peccatum originis ſit mera privatio? Negatur contra quosdam ita ſtatuentes Scholaſticos.

6. An peccatum originis propagetur per naturalem generationem? Affirm.

7. An peccatum originis per traducem propagetur? Affirmatur, ſed certo ac ſano ſenſu.

8. An ſi Deus animam creat, ipſe ſit autor & cauſa propagati peccati originis? Negatur, id ſequi.

9. Quænam tandem ſit vera cauſſa propagati peccati originis? Reſpondetur, eſſe plures cauſas.

10 An peccatum originis ſub una eademq; ratione à pluribus cauſis procedat? Negatur.

11. An

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

11. An peccatum originis formaliter ſit ipſa hominis ſubſtantia? Negatur contra Flacium.

12. An per peccatum originis homo propriam amiſerit ſubſtantiam, & prorſus aliam acceperit? Cognata quæſtio priori eſt, & negatur, contra Weigelium, quanquam is ſibi non conſtat.

13. An peccatum originis promereatur iram Dei atque æternam damnationem? Affirm. contra Zvvinglium & alios, qui peccatum originis non tam peccatum, quàm qualemcunque eſſe morbum ſtatuunt.

14. An ſalvâ juſtitiâ & bonitate ſuâ poſſit Deus decernere, ut homo peccet? Abſit, ut tàm impiè de Deo ſentias, cujus & juſtitia & bonitas infinita eſt ac ſumma. Quod obſervandum eſt contra prædeſtinatos & prædeſtinatianos, qui hodie in Belgio Ante- ac Supralapſarii dicuntur.

15. An Deus operetur in hominibus peccata? Negatur. Vide Gregorium Ariminenſem libr. II. ſent. diſt. 34, 35. qu. 1. art. 1. & 2.

16. An peccatum aliquod naturâ ſit veniale? Negatur contra Pontificios.

17. Quo ſenſu peccatum aliud *ad mortem*, aliud *non ad mortem* eſſe dicatur. 1. Joh. V, 16. 17. Reſp. per peccatum, quod eſt ad mortem, peccatum in Spiritum S. & per aliud, quod non eſt ad mortem, quodvis aliud peccatum, etiamſi naturâ ſit quoque mortale, intelligi.

18. Quid ſit peccatum in Spiritum S. Reſp. *eſſe actum, quo doctrina, quanquam teſtificante Spiritu S. vera agnita, abnegatur ex merâ libidine, cum propoſito perſeverandi in tali peccato, & in juſtam pœnam deſerente Deo.*

Reliqua, quæ addere conſilium erat, charta non capit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-274 4° 1444